

881
C395

PHILOSOPHIAE CHRYSIPPEAE

FUNDAMENTA

IN

NOTIONUM DISPOSITIONE POSITA

E FRAGMENTIS

RESTITUIT

CHRISTIANUS PETERSEN

PH. DR.

HAMBURGI EX OFFICINA LANGHOFFIANA.

VENDITUR

ALTONAE APUD CAROLUM BUSCH.

MDCCCXXVII.

JOH. ERICO DE BERGER

PROFESSORI KILIENSI P. O.

REGIS DANORUM A CONSILIIS STATUS

ET

AUGUSTO BOECKH

PROFESSORI BEROLINENSI P. O.

ACADEMIAE SCIENTIARUM REGIAE SOCIO

PRAECEPTORIBUS SUIS

AMICISSIMIS ET CARISSIMIS

HOC PIETATIS DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Cum tempus, ex quo Stoicae philosophiae operam do, nondum superaverit triennium, si quid novi in ea detexisse mihi videor, ne quis hoc maturius in lucem proferri judicet, quae excusationem mihi praebent, praemonenda sunt. Etiamsi enim per hoc tempus plurimum otii illi potissimum veteris philosophiae parti impendi, tamen minorem tantum molis illius, ex qua Stoicae doctrinae fragmenta eruenda sunt, a me satis diligenter pervestigari potuisse, quisque intelligit, secum perpendens, ab initio, cum in universitate litterarum degerem, plurimum temporis toti litterarum orbi pervagando tribuendum fuisse, postea elaborandum, ut simul vitae sustentandae facultates pararentur. Nihilo minus jam nunc studiorum meorum fructum, qualiscunque est, cum aliis publice communicare volui, cum rerum, quas reperi, novitate delectatus, tum, ut, si qui rem melius perspectam haberent, horum scientia adjutus, ne erroribus persequendis tempus et operam perderem, contra, quod spero, si recta ingredior via, ut aliorum consensu incitatus et liberiorem aliquando vivendi atque litteris vacandi conditio-

nem nactus, inchoata perficerem; a viris denique mihi semper summi faciendis iisque de antiquitate ac de philosophia optime meritis ad festinationem admonitus.

Attamen ut censoribus qui ut mihi contingant, fore, spero, munere juste fungendi facultatem praebeam, copiosius mihi praefandum est, quid animum meum ad scribendum appulerit, qua libri huius componendi ratione usus sim, e quibus fontibus et quo modo hauserim, quid denique de iis judicem, qui eadem via me praecesserunt.

Cum Berolini litteris vacans obscurum aliquem antiquitatis locum luce collustrare cuperem, quo perscrutando cum ingenii, si quod est, tum eruditionis documentum exhiberem, Boeckhius, quem honoris causa nomino, de hac re consultus, mihi, quid eligerem dubitanti et quod nec vires meas superaret, neque nullos in virorum doctorum usum fructus ederet, flagitanti, proposuit, ut Chrysippo Stoico operam meam navarem. Quod, modo tali labori par sim, non initio tantum placuit ipsum, sed in diem meum Stoicae philosophiae amorem auxit. Maxima fragmentorum parte e bibliothecae Berolinensis opibus congesta, mihi de digerendi ratione meditanti sese obtulit librorum Chrysippeorum index apud Diogenem servatus, quem e systematis Chrysippei ordine confectum ideoque fontem esse ordinis ab illo philosophiae praescripti illico intellexi. In quo cum locum logicum *περὶ πραγμάτων* inscriptum accuratius investigarem, enuntiatorum genera secundum notiones esse constituta Aristotelis categoriis similes detexi; unde apud Stoicos quoque eiusmodi

categorias fuisse, primo suspicabar, quod deinde Diogenes et Seneca satis aperte prodere visi sunt. Categorias igitur Stoicas jam tum quaerenti accessit mira quaedam inter diversas philosophiae partes consensio, quam, etsi obscuram, illis tamen niti, jam tunc conjeci, nunc tandem demonstrasse mihi videor. Categoriarum ergo talium aut ex ipsa philosophiae indole aut e vetere quodam scriptore minus trito eruendarum spem eventus minime fefellit. Etenim in scriptoribus Graecis perlustrandis, ceteris sepositis, ad commentarios illos locupletes ad Aristotelis logica scriptos me converti, e quibus Simplicii liber de categoriis scriptus meam ipsius exspectationem adeo superavit non opinantis, tam aperta vestigia exstare. Omnibus ex eo conquisitis, rei defectu coactus Berolinum reliqui, Kiliae tamen, quae repereram, aliis antiquitatis monumentis pervolutandis augere conatus sum. Sola tamen, quae aut in recentiorum libris cuique patebant, aut a me jam collecta erant, conferre licuit, novi parum detegere potui. Dexippi enim et Porphyrii commentarios, quos et ipsos de hac re disputare, index eorum apud Fabricium in Bibl. Gr. Vol. V. p. 725. sq. obvius docet, Berolini desideratos, neque Kiliae neque Hafniae neque in ulla inferioris Germaniae urbe nanscisci potui. Difficultatibus deinde, quas categoriarum et divisionis discrimen suppeditabat, solvendis, me testimoniis destitutum imparem putans de proposito persequendo fere desperaveram, cum Brandisius V. Cl. professor Bonnensis, qui tunc forte per Kiliam iter instituit, mihi animum addidit, cum ad rem persequendam

adhortans, tum locos quosdam Syriani liberaliter mecum communicans, tum potissimum, quas conjecturas vix proferre ausus eram, sibi probari affirmans. Doctrinam de categoriis tunc jam perspectam Illustri philosophorum ordini Kiliensi tradidi, qua mihi doctoris dignitatem pararem, quae mihi concessa est, quamquam confitenti, rem ex mea quidem ipsius sententia nondum esse perfectam. Quare roganti mihi, ut dissertationis editio in commodius tempus differretur, hoc non denegarunt viri humanissimi. Jam non multo post, sede fortunarum Neopolii collocata, studium aliquamdiu intermissum tardius tantum persequi potui, ut nunc demum, anno et quod excurrit, praeterito, quod Berolini conjeceram, acrius perspectum et litteris mandatum edere potuerim. Divisionis enim et categoriarum discrimine et nexu tandem detecto, ipsius divisionis argutiis perspectis, oppositione addita, denuo totius philosophiae dispositionem aggressus, cum categorias huic convenientes, tum dividendi et opponendi rationem omnibus partibus communem reperi.

Haec omnia si nova invenisse vel primus e tenebris in lucem traxisse mihi videor, hac re non tantopere mihi gloriandum est. Neque enim quisquam sagacitate et acumine excellens nostra aetate hanc historiae partem subtilius indagandam sibi proposuit. Qui vero antea eidem operam navarunt, inter quos homines haud infimi ingenii, Justus Lipsius et Tiedemannus, non justa criseos instituendae ratione usi sunt. Uterque enim ea potissimum conquisivit, quae communi Stoicorum nomine traduntur, diversas singulorum sententias minus curans, ille

praeterea aliorum doctrinam cum Stoica miscuit. Ut ceteros praetermittam, de quibus infra fusius dicendum est, meliorem antiquae philosophiae nova luce collustrandae rationem et viam primus monstravit Wyttenbachius, cuius tamen schola minus feliciter eam persecuta est; quo enim illa via pervenire possimus, Schleiermacherus demum (de Socrate, Heraclito aliisque in scriptis Academiae Berolinensis) et Boeckhius (in Philolai fragmentis) ostenderunt. Huius exemplum, quantum rerum diversitas admittit, equidem imitari volui; quamquam, cum pauciora ipsis Chrysippi verbis servata sint, ceterum rerum nexus rarius nos deficiat atque pluribus locis per se perspicuis minus enarrandis, quam recte collocandis opera esset navanda, interdum paullo secus mihi agendum esse visum est. Itaque fusiore enarratione plerumque supersedi, interpretationem Latinam addere satis habens. Versionem Latinam, quam difficilioribus locis addidi, ipse confeci, interpretationibus, quae exstant, aliis aliter usus. Simplicii interpretatio Latina, quae 1543 Venetiis prodiit, Sebastiano Toscareno a typographo dedicata, a quoquo confecta, cum ipso textu Graeco obscurior sit, in dubiis tantum locis a me consulta est. In Plutarcho interpretando Wyttenbachium plerumque vestigiis secutus sum, multis tamen aut cum ipso textu, aut pro meo loquendi usu mutatis. Stobaei versionem ab Heerenio exhibitam saepe consului, nunquam non mutatam recepi. In texto constituendo optimos quosque editores adhibui, plures editiones cum propter librorum defectum, tum propter temporis angustias rarius conferre potui. Itaque locupletem

lectionis varietatem addere et nolui nec potui, neque, ubi potui, librorum dissensionem attuli, nisi ab editoribus, quibus usus sum, mihi discedendum erat. Sed ne loci Graeci alii aliam exhiberent speciem, sed scriptione inter se consentirent, in litterarum majuscularum usu, in interpungendo et signis accentuum ponendis una peculiaris ratio erat conformanda, de qua in singulis locis, nisi signo mutato simul sensus mutatus est, nihil monui. De qua re cum optimorum aetatis nostrae philologorum exemplum secutus sim, nihil addendum est, excepta accentuum ratione, quam cur contra librorum auctoritatem et recentiorum usum interdum mutaverim, omitti non potest. Plurimae categoriae earumque genera subvidisa aliquot certis quibusdam particulis significantur, quae ad litteras et interrogativae et indefinitae esse possunt; quarum ratio cum, quod ad notiones attinet, eadem sit, omnes eodem accentuum genere notandae esse visae sunt, quod adhuc non factum erat. Apud Aristotelem enim eiusque commentatores in editionibus quidem *ποιον* et *ποσον* et *προς τι* pro indefinitis habita oxytona sunt, *πως* autem et *που* et *ποτε* ut interrogativa partim perispomena partim paroxytona exhibentur. At cunctae huiusmodi particulae, siquidem categorias indicant, universales quasdam notiones exprimunt ideoque pro indefinitis habendae sunt, quare scripsi *πώς*, *πού*, *ποτέ*, ut *ποιόν*, *ποσόν*, *πρός τι*. In encliticis denique *πώς*, *ποτέ*, *πού*, ubi fortius pronuntiandae sunt, e. g. post articulum, saepius, quam fieri solet, accentum retinui.

Nomina quidem auctorum, quos secutus sum, indice protuli, sed ne quis, temere iis fidem esse habitam, opinetur, eos vera dicere et potuisse et voluisse, demonstrandum est, quamquam ne longius excurrerem, eorum tantum rationem habui, e quibus plura deprompsi. *Diocles Magnes*, omnium, quos adhibere potui, antiquissimus, cum ex ipsis veterum Stoicorum libris hauserit, fide quidem est dignissimus, sed ea, quae apud Diogenem de logice tradidit, ex introductione, non ex ipso systemate esse excerpta, minime est negligendum; in tali enim introductione Stoici totam quidem logicen, sed obiter tantum, adumbrabant, ut dispositio quidem, sed non dignitas et gravitas logices inde cognosci possit. *Cicero* a plurimis locupletissimus Stoicae sapientiae habetur testis, neque immerito, in iis quidem libris, quibus Stoicos secutus est, quamquam, cum ubique aliorum etiam sententias immisceat ad Panaetii et Antiochi exemplum, ubique ad fontes respiciendum est. Ciceronis fides bene defensa est a Kuehnero (de Cic. in philos. meritis Hamb. 1825), a quo gravium criminum a Schleiermachero in Ciceronem conjectorum rationem esse habitam voluerim. Schleiermacherus enim (Krit. der Sittenl.), Ciceronem rei ignarum Stoicorum decreta minime vel falso intellecta male permiscuisse p. 158., Graeca verba male reddidisse p. 162., novi aliquid additurum a Stoica disciplina infeliciter aberrasse p. 183., conqueritur, a quibus opprobriis si Ciceronem omnino purgare vellem, singularis liber conscribendus esset; quare annotasse sufficiat, si Cicero a veterum Stoicorum sententia aberraverit, hoc potius prae-

ceptoribus eius, quam ipsi esse objiciendum, quod et ipse Schleiermacherus ex parte quidem concedit p. 338.; ceterum huius rei studiosos ad Kuehneri librum ablego, in quo ipso quae Ciceroni objiciuntur, Beierus redarguit in Jahnii Annalib. Philog. etc. (Vol. I. fasc. 2. p. 238. 1826). Ex iis denique, quae in parte quarta docui de Cicerone saepius Chrysippum vestigiis sequente, ad fidem eius firmandam hic repeto, ex ipsis de officiis libris neque e tertio minus, quam e ceteris, multa afferri posse de dialectice Stoicorum ethicis applicata; quamquam non ubique eius diligentiam et perspicuitatem laudaverim, quare semper ad fontes eius respiciendum esse dixi, quos diligenter et accurate indicavit Kuehnerus. Eadem fere de *Seneca* valent, in quo non minus cavendum est, ne nova pro vetustis, aliena pro Stoicis accipiamus, quamquam eo Ciceroni postponendus est, quod acutam Stoicorum logicen non contempsit tantum, sed neque usquam adhibuit, ut, licet singula e veterum Chrysippeorum libris descripta apud eum detegamus non pauca, ipse tamen ab omni ordine fere abhorrere videatur, id quod ep. 89. in primis ostendit, ubi de ordine disputans eum ne intellexit quidem. (Cf. p. 245. etc.) *Antoninus* cum ipse nihil fere excogitasse videatur, sed veterum placita recordatione repetita litteris mandaverit, vetusta disciplina satis pura ex eo hauriri potest, plurima enim e Cleanthe et Chrysippo horumque discipulis esse deprompta, satis firmis argumentis probari potest, quod a Bachio (de Antonino. Lips. 1826) omissum esse doleo. *Plutarchus* et *Galenus* cum plerumque non librorum, quibus usi sunt, inscrip-

tiones tantum afferant, sed ipsa verba exhibeant, ad fidem nihil desiderandum reliquerunt. *Plotini* vero nescio utrum genus scribendi contortum, an incuria et negligentia magis sit vituperanda, quare ea potissimum ex eo allegavi, quae et paullo clariora et aliorum testimoniis firmata sunt. *Simplicii* eruditio, ingenium et diligentia notiora sunt, quam de quibus verbum addam. Neque *Diogenes* denique neque *Stobaeus* ullum diffidentiae locum praebent, ubi quidem integri sunt, ille enim etsi scribendi genere utitur minus probando, ubique tamen fontes non tantum laudat, sed saepe exscribit; hic etsi libros, quibus usus est, rarius nominat, ex ipsis tamen auctoribus plerumque satis consulto excerpsit atque omnia satis perspicue profert; uterque vero propter frequentes lacunas easque non ubique apertas magna cum cautione adhibendus est, inprimis Diogenes, cuius textus saepius laceratus, quam incolumis est.

Restat, ut recentiorum in philosophiam Stoicorum restituendam merita recenseam. Ne quis miretur, recentiorum libris me rarius esse usum, confitendum est, plurimos a me esse consultos, libro meo jam confecto, praeterea ab omnibus fere mihi dissentiendum fuisse, quos refutare, aeque superfluum ac longum est, veritas enim semet ipsa defendit. Quid denique juvat, e rivulis haurire, si fontes patent? Cum rem pertractare inciperem, Tiedemannum et Tennemannum et Krugium solos legeram, quibus pervolutatis, cum res accuratiore disquisitione indigere videretur, eam instituturus ipsos Stoicae sapientiae conservatores adii. Nonnulla quidem eorum,

quae inveneram, e Brukkero et Stanlejo discere potueram; Stanlejus enim ipsam categoriarum adumbrationem exhibet, quod vidi non multo post, quam dissertationem meam Illustri philosophorum ordini Kiliensi tradideram; sed neque Stanlejus neque quisquam alius tradit, propter quae eos non prius mihi ob oculos venisse poeniteat. Priusquam vero librum meum in publicum ederem, ne nota pro ignotis et novis venderem, potiores saltem recentiores historiae philosophiae auctores inspiciendi erant, de quibus quid judicem jam breviter proferam.

Postquam per plura jam saecula Plato et Aristoteles hominum animos vexarant, Stoici acuminis reliquiae propter paucitatem intactae jacebant. Justus Lipsius, qui primus omnium ante annum 1604. iis colligendis operam dedit, cum posteriores Stoicos imitaretur, propositi minus particeps factus est; consensum enim philosophorum sectans, propriam Stoicorum doctrinam non satis accurate indagavit. Logicen omnino neglexit, ethicen quidem attigit in manuductione ad philosophiam Stoicam, sed ita cum physice miscuit, ut nihil sani prodire p. tuerit. Felicius in Physiologia Stoicorum restituenda versatus, oppositionem causae et materiae recte quidem perspexit, minus tamen sagaciter ad divisionem physices adhibuit, primum de causa et Deo, tum de materia et mundo, ultimo de utriusque conjunctione in hominibus conspicua disserens. Adami Bursii dialectice Ciceronis Stoica eodem anno, quo Lipsii scripta, 1604. Zamosci prodiit, quam ubique frustra a me esse quaesitam, eo magis doleo,

quo pluris esse arbitror. Eodem fere tempore Casp. Scioppius Elementa edidit Stoicae philosophiae moralis (Mogunt. 1606.), quae cum mihi non contigerint, quid praestiterint, dijudicare non possum. Neque Danielis Heinsii orationem de philosophia Stoica, neque Du Vairii neque Francisci de Quevedo libros nancisci potui. Th. Gataker, qui primus Stoicam ethicen cum aliorum philosophorum et ipsa Christiana doctrina comparavit (in praeloquio ad edit. Anton. 1552.), pro consilio suo de ipsius ethices fundamento et dispositione nihil bonae frugis proferre potuit.

Jac. denique Brucker (Instit. philos. 1747.) cum de tota philosophiae historia, tum de Stoica disciplina restituenda melius est meritus. Etenim etsi non omnino perspexit dispositionis fundamentum, verius tamen sensit. Logicen duce Diocle satis subtiliter adumbravit; in physice, quod Lipsium secutus est, minus est laudandus; in ethice disponenda non certam quidem habet rationem, sed sensu quodam veri ductus cognata non male conjungit: primo de finibus disserit et animi tranquillitate, deinde bonorum, malorum et indifferentium discrimen docet, quibus annectit paradoxa eo pertinentia; tunc ab animi humani natura disputationem de impetu, perturbationibus animi, de virtutibus et officiis repetit. Non multo post (1755.) Thom. Stanley philosophiae historiam tractavit; qui cum ceteris fere omnibus tum ingenii acumine, tum maxime doctrinae amplitudine antecelluerit, si a posterioribus saepius consultus esset, veteris philosophiae cognitio, certe quod ad Stoicos attinet, majores jam

fecisset progressus; etenim fontes non tantum apertos ipse adiit, quod quidem recentiores saepe neglexerunt; sed novos etiam detexit atque satis caute et sagaciter ex iis hausit. Logicen et in universum et in singulis optime disposuit, atque, quae a Bruckero omissa erant, suo quodque loco addidit, quamquam neque rationem disponendi satis intellexit, nedum proposuit, neque dignitatem huius partis etsi agnitam in singulis aperte explicavit. In ethice, cui secundum locum tribuit, Ciceronis imprimis de finibus librum III. secutus, meliorem, quam Bruckerus, ordinem servavit, imo affectuum adumbratione excepta, veram dispositionem restituit. Ab appetitu profectus ad bonorum et malorum discrimen pervenit, deinde affectus et bonos et malos adumbrat, tum virtutem tractat; deinceps sequitur de indifferentibus disputatio; ultimum locum tenet officiorum expositio et paradoxorum adumbratio, in quo loco id praecipue vituperandum est, quod officia perfecta, quae ad finem bonorum pertinent, cum mediis conjunxit. In physicis recte Diogenis divisionem specialem et generalem copulare voluit, quod minus feliciter ei successit. Recte quidem primo de corpore et principiis egit, minus tamen recte elementorum adumbrationem ab illis separavit et post locum de mundo, qui deinceps sequitur, posuit. Bene tum de mistione et temperamento, de generatione et corruptione, de motu et de animalibus disputat, male autem disputationem de Deo, Natura et Fato bene inter se distinctis loco suo movit et conjunxit. Ultimum locum recte tenent incorporalia, sed non cuncta eo trahuntur, quae debebant.

Ampliorem demum Stoicae sapientiae imaginem debemus Tiedemanno (1776.), qui subtilius, quam doctius egit, neque enim omnes fontes adiit, neque Stanlejum adhibuit. Logicen bene disposuit, quamquam minus sibi constans judicia et syllogismos disjunxit, vocem et orationem in unam partem contraxit. Neque tamen, Dioclis epitomen secutus, gravitatem Stoicae logicae satis illustravit, neque propter categoriarum ignorantiam dispositionis fundamentum agnovit, id quod de ceteris quoque partibus valet. In physicis se ordinem reperire non potuisse, ipse confitetur, quare ex causae et materiae oppositione eam sibi finxit dispositionem, ut primo de elementis, principiis et corporibus in universum, tum de mundo in genere, denique de Deo disseruerit. In Ethice rursus rectam ingressus est viam, quam quidem non ubique persequitur. Ex eodem enim Senecae loco profectus est, quo nos nixi sumus, neque tamen singula ubique recte collocavit; etenim, ut cetera omittam, partem de appetitu tractantem a perturbationibus animi avulsam disputationi de bonis et malis praemisit.

At quos huc usque recensui, eodem cuncti vitio laborant, quod omnia omnium Stoicorum placita permiscuerunt, id quod primus, quantum equidem scio, Tennemannus vitavit, qui sua cuique decreta tribuens ita saltem meliorem viam ingressus est, quanquam, cum suam vel Kantii rationem disponendi omnibus et veterum et recentiorum systematis adhibuerit, in peius etiam vitium lapsus est. Perfectius aliquid exspectes ab iis, qui e Cl. Wyttenbachii schola profecti, ab ipso admoniti singulorum

Stoicorum fragmenta collegerunt, sed exspectatio te fallit; etsi enim satis diligenter et docte reliquias congesserunt, minus tamen subtiliter in ordine restituendo versati, eas pro suo quisque potius arbitrio ordinarunt, quam antiquam dispositionem renovarunt. Petr. Nieuland *), F. G. van Lynden **) et Janus Bake, ***) quos solos adhibere potui, eo quoque minus probandi esse videntur, quod fragmenta componunt, librorum, e quibus deprompta sunt, ratione non habita, de libris autem seorsim agunt, ad eorum nexum non respicientes. Qui cum Bagueto ****) imitandi commendati sint, hunc non feliciorem fuisse, suspicor; certe qui de hoc libro judicium tulit (Heidelb. Jahrb. 1823. N. 45.), nihil novi ex eo annotavit.

Inter patriae nostrae philologos pauci sunt, qui nostrâ quidem aetate Stoicae disciplinae in systematis formam restituendae majorem operam navarunt; mihi quidem praeter E. G. Lilieum et N. Bacchium nemo innotuit. †)

---

*) Dissert. de Musonio Rufo cum eius fragmentis Amstel. 1783. ed. sec. 1819.

**) Disput. de Panaetio Rhodio Lugd. 1802.

***) Posidonii Rhodii Reliquiae doctrinae Lugd. 1810.

****) Comm. de Chrysippi Vita, Doctrina et Reliquiis Lovanii 1822. Quem librum maxime desideratum nec per bibliopolas mihi parare potui, nec per professorem quendam Lovan., quem quidem litteris de hac re adii, quanquam, cum responso non gavisus sim, litteras meas ad eum esse perlatas, vix credibile.

†) Exstant quidem dissertationes de Chrysippo scriptae:
Joh. Fr. Richter diss. de Chrysippo Stoico fastuoso Lipsiae 1738. 4.
Andr. Schmidii diss. de Chrysippea brutorum logica. Jenae 1689.

Ille *) in moralem tantum partem incubuit, neque sine fructu, de officiorum enim ratione perspicienda bene meritus est, quam quidem minus recte ad totam ethicen disponendam adhibuit. E libertatis et necessitatis discrimine profectus, quae in nostra potestate sunt ab iis, quae in aliena, distinguit. Illa sunt aut bona aut mala, haec indifferentia. Primam igitur ethices partem de bonis eorumque ratione disputure putat, secundam de malorum causis et remediis, tertiam de officiis. Stobaeus quidem ei assentitur, sed hic veterem Stoicorum ordinem sequi noluit (cf. p. 262.). Bacchius, **) logice omnino praetermissa, in physicis disponendis non quidem omnino male Ciceronis libr. II. de Nat. Deor. sequitur, sed cum eius rationem non satis perspexerit, de mundo, de homine, de fato, de providentia aliisque non justo loco egit. In ethice cum et ipse a bonorum et malorum et indifferentium discrimine profectus sit, etsi ipsam veritatem non tetigerit, propius tamen ad eam accessit, quam Lilie; primo enim de bonis et virtute disserit, deinde de finibus bonorum, ultimo de indifferentibus, quo etiam animi perturbationes traxit.

Ge. Albr. Hagedorn Moralia Chrysippea e rerum naturis petita Altorf. 1685. 4.

Joh. Conr. Hagedorn Ethica Chrysippi. Norimb. 1715. 8.

e quibus primam tantum mihi parare potui, quae ne lectione quidem, nedum recensione digna est, mores Chrysippi opprobriis, quibus fieri potest, adspergens.

*) De Stoicorum philosophia morali ad Ciceronis libros de officiis. Altonae 1800.

**) De M. Aurelio Antonino imperatore philosophante ex ipsius commentariis Scriptio philol. Lips. 1826.

Ut vera disponendi ratio Stoicis propria, quam equidem primus hoc libro exhibuisse mihi videor, magis etiam, quam adhuc per me fieri potuit, confirmetur, ceterorum, quoque Stoicorum fragmenta congerenda atque ratione et via digerenda erunt. Etiamsi enim e Chrysippi reliquiis a me diligentissime conquisitis atque e communi Stoicorum sententia gravissima saltem collegi, ut de ceteris taceam, in ipsius tamen Chrysippi fragmentis multa reperiuntur, quae bene conglutinata et acutius explicata sententiam meam affirment; ingenue tamen confitendum est, in his ipsis multa latere posse, quae me fugerint. Neque integra quidem Stoicorum opera, quae exstant, satis ad usum meum adhibuisse mihi videor. Arrianum enim et Simplicii ad Epictetum commentarios leviter tantum attigi. Neque Senecam quidem, neque Ciceronem, tota disponendi ratione jam reperta, denuo pervolutare potui. Nihilo minus, qui veterum loci me fugerint, eos minime timendos esse puto, imo ad ipsos Chrysippi de providentia libros nuper Herculani repertos provocare audeo, qui cum mea quidem sententia physices finem faciant, et huius rei indicia habeant et omnes, quas protuli, conjecturas, aut affirment aut refutent necesse est.

Restat ut gratias agamus quam maximas iis, qui quacunque ratione opus meum adjuverunt, iis potissimum, qui bibliothecis praesunt Altonae, Berolini, Hamburgi et Kiliae, atque collegae doctissimo et diligentissimo, mihi amicissimo, qui mecum plagulas erroribus purgavit.

Scribebam initio anni MDCCCXXVII

Neopolii apud Altonam in Holsatia.

CONSPECTUS.

	Pag.
INTRODUCTIO	1—35
I. Doctrinae de summis generibus apud Graecos historia	2
II. In qua logices parte Chrysippus doctrinam de summis generibus tractaverit . .	23
PARS PRIMA.	
De summis notionum generibus	36—144
C. I. Quae summa notionum genera Stoici posuerint	36
C. II. Substratum	43
C. III. Quale	64
C. IV. Aliquo modo se habens	101
C. V. Aliquo modo ad aliquid relatum . .	126
PARS SECUNDA.	
De rerum divisione	144—180
C. I. De fundamento divisionis	145
C. II. Entis et non-entis discrimen . . .	151
C. III. Corporis et incorporei discrimen . .	159
C. IV. Incorporeorum subdivisio	165
C. V. Corporum subdivisio	175
PARS TERTIA.	
De contrariis	181—215
C. I. De contrariorum definitione et generibus	181
C. II. De simpliciter contrariis	185
C. III. Habitus et privatio	192
C. IV. Affirmatio et negatio	204
C. V. Contraria ad aliquid relata	209

Pag.

PARS QUARTA.

Doctrina de categoriis, de divisione et oppositione e totius philosophiae dispositione probata et firmata . . . 216—315

C. I. Categoriarum usus in universum adumbratus 216

C. II. Logices divisio 221

C. III. Physices divisio 239

C. IV. Ethices divisio 258

C. V. Brevis systematis Chrysippei descriptio 292

§. 1. Logice 294

§. 2. Physice 201

§. 3. Ethice 307

CONCLUSIO.

Stoica disciplina cum recentiorum systematis comparata . . . . 315—318

INDICES . . . . 319—352

Cum cuiusvis disciplinae in quacunque aetate conditio, iis, quae antea homines in ea praestiterunt, praemissis, magis elucescat, priusquam Stoicorum de categoriis sententiam fusius exponam, cui omnino categoriae originem debeant, quot et quae a quaque philosophorum schola positae sint, breviter praemonendum esse duxi. *Categoriarum* enim nomine primus Aristoteles genera quaedam summa insignivit seu simplices notiones, quae in definiendo atque dividendo et ceteris notionibus superponi et de iis praedicari (κατηγορεῖσθαι) possunt. Quod vocabulum cum ex Stagiritae disciplina in usum sermonis quotidiani transierit, simili vel eadem significatione ad alia systemata a me adhibitum est. Neque tamen ad categorias in certo quodam systemate constitutas omnino intelligendas eidem aliorum systematum parti eas conferre sufficit, sed etiam praemittatur necesse est, quem in hoc ipso systemate teneant locum.

I.

Doctrinae de summis generibus apud Graecos historia.

Satis quidem constat notiones definiendi et disponendi rationem, cuius principium versetur in categoriis, ad logicen pertinere, sed quemadmodum illa in aliis systematis alia fuerit, adhuc non satis animadversum est; quod ut penitus perspiciatur, ex diversitate inter varia logices, quae nunc vocatur, systemata obtinente dissertationis initium capio.

Inventio *dialectices*, quippe quae primum in disserendo et disputando versata fuerit, recte Eleaticis vindicatur *). *Logice* vero seu cogitandi ratio, quatenus ab illa discerni potest, a Pythagoreis primum colebatur sive eodem tempore sive prius etiam, quam isti disserendi arti operam navarunt Eleatici. Quaecunque enim antea in philosophia tractata erant, ea Pythagorei non amplificarunt tantum, sed subtilius etiam investigata novisque disciplinis aucta atque cuncta ad eundem finem relata communi quodam vinculo colligarunt, quod logices nomine dignum est. Illa disserendi ratio ab Eleaticis tradita est Sophistis, qui ei prae ceteris quidem operam dabant, ita vero in peius eam verterunt, ut vera et falsa, quae eius ope

*) Buhle hist. art. log. in nov. comm. Gott. XI. p. 239.

discernere debuissent, miscere viderentur. Opportune exstitit Socrates, qui vagam hanc disputandi exercitationem cum solida Pythagoreorum distinguendi et componendi ratione ita copulavit, ut nova evaserit ars *), quam Plato, dialectices nomine servato, cum ad disputationes adhibuit, tum justa disciplinae forma indutam philosophiae fundamentum reddidit **). Hanc logices dignitatem, quam Pythagorei suspicati erant, a Platone cognitam, ab Aristotele rursus neglectam Eristici seu Megarici denuo argutiis obscuraverunt et deformarnnt, Stoici vero ex magna saltem parte restituerunt vel potius justis finibus circumscripserunt. Eristici una cum Aristotele dialecticen vel logicen, quo nomine Aristoteles primus est usus, non fundamentum, sed instrumentum philosophiae putabant, discreparunt vero ab eo, quod ad Sophistarum similitudinem, ne quid certi relinquerent, efficere studebant. Peripatetici atque Stoici cum in logice excolenda ceteris praestarent, quomodo inter se differant, inprimis est tenendum. Quam differentiam Platner ***) bene exposuisse mihi

*) Schleiermacher über den Werth des Socrates als Philosophen, in den Abhandl. d. Berl. Acad. 1814 — 15. philos. Classe. p. 50.

**) Plato de rep. VI. p. 511. VII. p. 533. seqq.

***) Lehrbuch der Logik und Metaphysik. §. 16 — 23. Aphorism. Vol. I. §. 811. Anm. — Minus recte hanc differentiam exposuerunt Cicero Top. 2. et Boëthius ad h. l. ed. Bas. p. 760; rectius quidem, sed non satis accu-

quidem videtur, qui Peripateticam logicen ad solam veritatem formalem, quam nostri vocant, pertinere contendit, Stoicam vero praeter hanc amplecti etiam realem. Alio modo, siquidem licet nostrum loquendi usum veterum systematibus adaptare, Peripatetica analyticen tantum continere dici potest, Stoica etiam syntheticen; haec praeterea logices psychologicae cognomine apte insigniri potest. Jam per se manifestum est, opinor, pro tam diversis logices definiendae rationibus cum ceterae eius partes, tum ea, quae categorias tractat, diversam prodant indolem oportere.

Cum primum homines a mundi elementis e sola materia petitis ad reconditiorem omnium rerum connexum ex sua ipsorum mente eruendum se converterunt, genera quaesivisse videntur summa, quae omnes res complecterentur ideoque earum vinculum indicarent. Ut Eleaticos praetermittam, qui ens (τὸ ὄν) summum et *unicum* genus habuerint, tabulae talium notionum principum primae Pythagoreis debentur; quorum duae de hac re sententiae diversae quidem inter se, eundem tamen fontem prodentes traduntur ab Aristotele Metaphysicorum lib. I. c. 5. ed. Brandis p. 16. l. 23. *Φαίνονται δὴ καὶ οὗτοι* [*οἱ Πυθαγόρειοι*] *τὸν ἀριθμὸν νομίζοντες ἀρχὴν εἶναι καὶ ὡς ὕλην τοῖς*

---

rate Ammonius in Arist. Cat. Ven. 1546. 8. p. 4. Joh. Philopon. in Arist. Analyt. pr. init.


οὖσι καὶ ὡς πάθη τε καὶ ἕξεις, τοῦ δὲ ἀριθμοῦ στοιχεῖα τό τε ἄρτιον καὶ τὸ περιττόν, τούτων δὲ τὸ μὲν πεπερασμένον, τὸ δὲ ἄπειρον, τὸ δ' ἓν ἐξ ἀμφοτέρων εἶναι τούτων (καὶ γὰρ ἄρτιον εἶναι καὶ περιττόν) τὸν δ' ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός· ἀριθμοὺς δέ, καθάπερ εἴρηται, τὸν ὅλον οὐρανόν. Ἕτεροι δὲ τῶν αὐτῶν τούτων τὰς ἀρχὰς δέκα λέγουσιν εἶναι τὰς κατὰ συστοιχίαν λεγομένας,

πέρας καὶ ἄπειρον,
περιττὸν καὶ ἄρτιον,
ἓν καὶ πλῆθος,
δεξιὸν καὶ ἀριστερόν,
ἄρρεν καὶ θῆλυ,
ἠρεμοῦν καὶ κινούμενον,
εὐθὺ καὶ καμπύλον,
φῶς καὶ σκότος,
ἀγαθὸν καὶ κακόν, *)
τετράγωνον καὶ ἑτερόμηκες.

Ὅνπερ τρόπον ἔοικε καὶ Ἀλκμαίων ὁ Κροτωνιάτης ὑπολαβεῖν· καὶ ἤτοι οὗτος παρ' ἐκείνων ἢ ἐκεῖνοι παρὰ τούτου παρέλαβον τὸν λόγον τοῦτον· καὶ γὰρ ἐγένετο τὴν ἡλικίαν Ἀλκμαίων ἐπὶ γέροντι Πυθαγόρᾳ· ἀπεφήνατο δὲ παραπλησίως τούτοις· φησὶ γὰρ εἶναι δύο τὰ πολλὰ τῶν ἀνθρωπίνων, λέγων τὰς ἐναντιότητας οὐχ ὥςπερ οὗτοι διωρισμένας, ἀλλὰ τὰς τυχούσας, οἷον λευκὸν μέλαν, γλυκὺ πικρόν, ἀγαθὸν κακόν, μικρὸν

*) Themistius ad h. l., Krugio in hist. philos. §. 26. Not. i. teste, pro ἀγαθὸν καὶ κακόν, legit νοῦς καὶ δόξα.

μέγα. *Οὗτος* *) *μὲν οὖν ἀδιορίστως ἐπέῤῥιψε περὶ τῶν λοιπῶν, οἱ δὲ Πυθαγόρειοι καὶ πόσαι καὶ τίνες αἱ ἐναντιώσεις, ἀπεφήναντο.* Secundum priorem, quae hoc loco Pythagoreis tribuitur, sententiam finitum (*πεπερασμένον*) idem est atque inaequale (*περιττόν*), infinitum (*ἄπειρον*) idem atque aequale (*ἄρτιον*) **); unum vero compositum est ex utroque, ut hic sit notionum nexus:



Posterior sententia e studio illo perverso omnia ad numerum decem referendi profecta serioris esse aetatis videtur, praesertim cum Philolaum ***) priori assensisse compertum habeamus. Pythagorei quidem ipsi in hisce primis generibus prin-

---

*) A Krugio l. l. aeque falso haec tabula decem notionum Alcmaeoni vindicatur atque ipse Pythagoreis adnumeratur. Recte locum interpretatus est Tennemann hist. phil. Vol. I. p. 113.

**) Hac ratione locum esse interpretandum cum posterior docet sententia, qua notiones sibi respondentes aliae sub aliis positae sint, tum plures Aristotelis loci probant: Phys. III. c. 4. Metaphys. XIII. 6. ed Brandis p. 293. atque Syrian. ad h. l. Itaque *τὸ μὲν πεπερ.* referendum est ad *τὸ περιττόν*, *τὸ δὲ ἄπειρ.* vero ad *τό τε ἄρτιον*.

***) Conf. Boeckh Philol. p. 53. Tennem. Vol. I. p. 106.

cipia rerum, non notionum sibi invenisse visi sunt; nihilo minus, cum res a notionibus nondum diserte distinguerentur, generibus istis constituendis logicen magnum cepisse incrementum meo jure contendere possum *). Etenim si philosophiae partitionem postea vulgatam Pythagoreorum systemati adaptamus, in hoc quae de numeris docebantur, eundem fere locum tenent, quem apud ceteros logice. Numerorum enim, quibus cuncta niti credebant, principia sunt haec ipsa summa genera. Itaque etiamsi ipsi Pythagorei logicen non pro peculiari philosophiae parte habuerunt, quod neque Eleatici fecerunt, ea tamen illorum etiam ope magnos progressus fecisse mihi quidem videtur.

Priorem rerum distinguendarum rationem ab Aristotele aliisque Pythagoricae disciplinae vindicatam a Platone dialecticae principium redditam esse contendi. Si quis enim Philebi initium perlegerit, rerum divisionem ibi propositam a Pythagoreis depromptam esse dubitare non poterit, quamquam eandem a Platone paullulum conformatam atque excultam non minus reperiet; quod

*) Pythagorei a Buhlio hist. log. p. 236. logice omnino abstinuisse dicuntur, quod quidem minus verum esse videtur, si logice ad Aristotelis mentem quam arctissimis finibus circumscribitur, nedum si, quod cuiuslibet disciplinae historiam scribenti faciendum est, quam latissimos fines ei constituimus. Quare de initiis logices e sola Eleaticorum schola deducendis quam longissime a Buhlii sententia mihi discedendum est.

quamvis Plato ipse hoc loco non professus sit, cum res ipsa doceat, tum primo Metaphysicorum libro Aristotelico credendum est, ubi Pythagoreorum et Eleaticorum, qui Italicorum nomine comprehenduntur, disciplinis expositis, de Platone haec proferuntur: (ed. Brandis p. 20.) *Μετὰ δὲ τὰς εἰρημένας φιλοσοφίας ἡ Πλάτωνος ἐπεγένετο πραγματεία, τὰ μὲν πολλὰ τούτοις ἀκολουθοῦσα, τὰ δὲ καὶ ἴδια παρὰ τὴν τῶν Ἰταλικῶν ἔχουσα φιλοσοφίαν.* A Pythagoreis Plato eo maxime discessit, quod numeros seu mathematica, secundum illos a rebus non diversa, ab iis distincta cogitatis annumeravit. Tria enim rerum principia statuisse dicitur, unum, magnum et parvum, illud prius idearum causam, haec posteriora duo, infiniti nomine comprehensa, numerorum elementa eademque idearum materiam habens, qua indutae sensus ferientia procreent, ipsis ut cogitatis opposita *). Ideae, in quibus cuncta haec elementa reperiuntur, a notionibus, cum singula principia tum horum partes tum ex iis composita exprimentibus, distinguuntur. Genera tamen notionum Platoni ab idearum principiis non valde diversa esse visa sunt; notiones enim aut ad numeros pertinent aut ad unum; si ad numeros,

*) Locum Aristotelis, ex quo haec deprompta sunt, fusius illustravit Fr. A. Trendelenburg in libello de Platonis Ideis et Numeris scripto Lips. 1826., qui ceterum sagacissimus in Philebi loco Aristotelis verbis adaptando mihi quidem non satisfecit.

aut infinitum (ἄπειρον) aut finem (πέρας) designant, quorum illud ex magno et parvo constare videtur, ad materiam respiciens, hic ad unitatem relatus numeris maxime proprius est; sin ad unum pertinent, aut essentiam (οὐσίαν), quae ad numeros respiciens ideas continet, aut eius causam (αἰτίαν) indicant; quae omnia definitionibus praemissis Phil. p. 27 C. hoc modo summatim repetit: *Πρῶτον μὲν τοίνυν ἄπειρον λέγω, δεύτερον δὲ πέρας, ἔπειτ᾽ ἐκ τούτων τρίτον μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν· τὴν δὲ τῆς μίξεως αἰτίαν καὶ γενέσεως τετάρτην λέγων ἆρα μὴ πλημμελοίην ἄν τι;* Infinita esse dicuntur p. 25. C. *ὁπόσα τῆς τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον δεχομένης τεθειμένα εἰς ἓν φύσεως,* cui definitioni praemissa sunt haec exempla: *ξηρότερον ὑγρότερον, πλέον ἔλαττον, θᾶττον βραδύτερον, μεῖζον σμικρότερον.* Finis deinde definitur, *ὁπόση φύσις παύει πρὸς ἄλληλα τἀναντία διαφόρως ἔχοντα, σύμμετρα δὲ καὶ σύμφωνα ἐνθεῖσα ἀριθμὸν ἀπεργάζεται,* exemplo *ἴσου* et *διπλασίου* illustratus. Essentiae ex utroque commixtae exempla proferuntur sanitas, musica, tempora anni et tempestates, e quibus p. 26. A. musica hoc modo illustratur: *Ἐν δὲ ὀξεῖ καὶ βαρεῖ καὶ ταχεῖ καὶ βραδεῖ, ἀπείροις οὖσιν, ἆρ᾽ οὐχ αὕτη ἐγγιγνομένη ταὐτὰ ἅμα πέρας τε ἀπειργάσατο καὶ μουσικὴν ξύμπασαν τελεώτατα ξυνεστήσατο;* Quartum causae genus omnibus prioribus commune, ab omnibus tamen diversum, ita definitur p. 27. B. *Τὸ δὲ δὴ πάντα ταῦτα δημιουργοῦν λέγωμεν τέταρ-*

τον, τὴν αἰτίαν, ὡς ἱκανῶς ἕτερον ἐκείνων δεδηλωμένον; Quae notionum diversitas e rerum principiis deducta, si quis accurate attendit, etiam apud Aristotelem de Platone disserentem detegi potest, Metaph. ed. Brand. p. 21. l. 25. seqq. Quam de principiis doctrinam a Platone dialecticae vindicatam esse cum Aristoteles confirmat in Metaph. p. 21. l. 13. καὶ ἡ τῶν εἰδῶν εἰςαγωγὴ διὰ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἐγένετο σκέψιν, οἱ γὰρ πρότεροι διαλεκτικῆς οὐ μετεῖχον· tum Plato ipse profitetur in Republ. p. 533. summa genera non partem tantum dialectices, sed fundamentum judicans.

Aristoteles, qui tam in singulis partibus quam in toto systemate minus certum quendam priorum philosophorum secutus est, quam quascunque reperit notiones et opiniones, crisi nunc primo instituta, aut omnino rejecit aut sibi assumptas nova ratione composuit, aliis quidem locis alia summa genera protulit, in logice vero ubique decem ista, quae categoriarum nomine nota sunt, proposuit. Quae tamen non eandem ac Platonica habent dignitatem. Logice enim ab Aristotele arctius circumscripta de principiis neque cognitionis neque rerum quidquam disputat, sed, experientia, quae vocatur, pro unico cognitionis fonte habita, in variis tantum notionum conjungendarum rationibus versatur. Quatenus vero ad recte judicandum et concludendum magni est momenti, quam rem vel a qua parte rem significemus, Aristoteli etiam in

logice notionum genera tractanda fuerunt *), quod factum est in singulari libello a plerisque Peripateticorum *Κατηγορίαι* inscripto atque in Topicis lib. I. c. 9. ed. Pac. In priore libro (ed. Pac. c. 4. ed. Lewald. Heidelberg, 1824 c. 2. §. 6.) decem categoriae hoc modo recensentur: *Τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν ἢ ποιὸν ἢ πρός τι ἢ ποὺ ἢ πότὲ ἢ κεῖσθαι ἢ ἔχειν ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν.* Notionum igitur non in verborum comprehensione i. e. in judiciis et conclusionibus, sed per se spectatarum haec sunt genera. Quatuor deinde primis earum fusius expositis annectitur disputatio de aliis quinque notionum rationibus, postpraedicamentorum nomine insignitis, quae *ἀντικείμενον, πρότερον, ἅμα, κίνησις, ἔχειν* vocantur. Praeter haec, quae ad praedicamenta dispertienda adhibentur, ad eadem, quanquam alia ratione relatae exhibentur hae notiones inter se cohaerentes: *τὸ συμβεβηκός, τὸ γένος, τὸ ἴδιον, ὁ ὁρισμός,* de quibus in Topicis l. l. haec proferuntur: *τὸ συμβεβηκὸς καὶ τὸ γένος καὶ ἴδιον καὶ ὁρισμὸς ἐν μιᾷ τούτων τῶν κατηγοριῶν ἔσται·* quarum notionum cum categoriis connexum Porphyrius in Isagoge ad Categorias fusius exponit. Ipsae categoriae cohaerent quidem inter se, neque tamen, quemadmodum apud Platonem, ut aliae aliis subiiciantur, sed ita ut omnes ad subjectum (*ὑποκειμε-*

*) Aristot. Metaph. IV. 7. Casaub. p. 97. Brand.

νον) vario modo referantur: *ὥςτε,* inquit Aristoteles c. 3. §. 5. ed. Lew., *τὰ ἄλλα πάντα ἤτοι καθ' ὑποκειμένων τῶν πρώτων οὐσιῶν λέγεται ἢ ἐν ὑποκειμέναις αὐταῖς ἐστι·* ubi *πρῶται οὐσίαι* singulas res seu individua significant, de quibus, si subjecti vice funguntur, ceterae categoriae praedicantur aut in quibus reperiuntur; e. g. si quis dicit: hic homo est animal, de homine aliquid praedicatur; color vero hominis in ipso reperitur. Si jam originem quaerimus categoriarum ab Aristotele propositarum, rursus ad Pythagoreos relegamur, quos, licet eas non eodem modo constituerint, ad eas tamen ita constituendas Aristoteli viam praemunivisse, ipse numerus suspicari jubet. Etenim ut omittam, vix dubitari posse, quin Pythagorei praeter decem illas notiones sibi oppositas etiam alias eiusmodi easque exquisitiores ad decem numerum composuerint, cum istis ipsis, quas supra attuli, ad fontem Aristotelicae categoriae aperte cohaerent. Essentiae enim notio, quam Aristoteles in capite posuit, a Platone jam e conjunctione finiti et infiniti, quippe quae primum teneant locum, deducta est. Aequale (*ἄρτιον*) et inaequale (*περιττόν*), quae Pythagorei pro numerorum principiis habentes in secundo loco posuerunt, ab Aristotele, ordine servato, in quantitatis notionem (*ποσόν*) conjuncta sunt. Qua ratione ex uno (*ἑνί*) et multitudine (*πλήθει*) quale (*ποιόν*) ortum sit, primo quidem intuitu minus liquet, sed cum apud Pytha-

goreos eadem a numeris separata varietatem indicare videantur, iis originem debere potest etiam qualitas, quae apud Aristotelem eundem atque ista apud illos, tertium locum tenet. Dextri et sinistri notionibus arctioribus universaliorem relationis notionem (πρός τι) substituit, illas pro exemplo retinens. Ceterae Pythagoreorum categoriae tam arctis finibus circumscriptae sunt, ut ad priores relatae evanescant, exceptis motus (κινουμένου) et quietis (ἠρεμοῦντος) notionibus; quae cum fortasse neque omnia, quae a nobis animadverti oportet, amplecti visae sint, ab Aristotele, si non jam a Pythagoreo quodam, in plures dissolutae sunt; in motu enim discerni possunt causa et effectus seu facere (ποιεῖν) et fieri vel pati (πάσχειν), in quiete vero habere (ἔχειν) et haberi vel situm esse (κεῖσθαι); cum denique omnes absque loco et tempore esse non possint, in categoriarum numerum accipienda erant *ubi* (πού) et *quando* (ποτέ).

Si alium etiam categoriarum ordinem et connexum statuisset Aristoteles atque quem supra significavi, ipse certe alicubi indicasset; quod cum nusquam factum sit, si quis postea eas alio modo colligare conatus est, hoc ab illius sententia alienum est *). Etenim, cum quo consilio de cate-


*) Contrariam sententiam amplexus est Lewald l. l. Argum. §. 3. p. XVII.

goriis libellus compositus sit, non praemoneatur, (seu quod Aristoteli imperfectus exciderit seu quod a discipulo minus diligenter calamo exceptus sit) interpretum, quos nactus est multos, sententias inter se diversissimas peperit, quarum plurimas Simplicius in introductione in commentarios de hoc libro §. 16. f. 22 B. — 23 A. ed. Bas. enumerat. Inter Peripateticos eandem rem fusius retractaverunt Archytas, Aristo, Eudorus et Andronicus; in Aristotelis librum commentati sunt multi et ab ipso Aristotele et inter se valde dissentientes, iique partim e disciplina Peripatetica profecti, partim e Platonis schola, alii denique utramque commiscentes, quos enumerare longum est *). Neque tamen omnino praetermittere possum Archytae sententiam ceteris subtilitate et perspicuitate longe praestantem; praesertim cum prisco illi Archytae Pythagoreo adscripta non recentioribus tantum, sed et ipsis veteribus multas turbas fecerit. Exstant enim duo Archytae cuiusdam libri: *Φερόμενοι δέκα λόγοι καθολικοί* cum epist. Camerarii Lips. 1564. 8. et *περὶ τοῦ παντὸς φύσιος* Venet. 1571. 4. quorum librorum prior posterioris partem efficere videtur **); uterque enim

*) Conf. Simplic. comm. in Arist. Categ. ed. Basil. f. 1. et 41.

**) Lewald praef. in Categ. Arist. p. XII. —
Buhle histor. log. p. 237. —
Krug Gesch. d. alt. Philos. §. 36. N. b. —

Aristotelis categorias exhibet nova ratione explicatas et conglutinatas, cuius principia hisce verbis continentur: *Τὸ ὂν ἢ ἐν ὑποκειμένῳ ἐντὶ ἤ οὐκ ἐν ὑποκειμένῳ· καὶ τὸ μὲν οὐκ ἐν ὑποκειμένῳ ποιεῖ τὰν οὐσίαν· τὸ δὲ ἐν ὑποκειμένῳ ἤ καθ' ἑαυτὸ θεωρεῖται ἢ οὐ καθ' ἑαυτό· καὶ τὸ μὲν οὐ καθ' ἑαυτὸ ποιεῖ τὰ πρός τι· — τὸ δὲ καθ' ἑαυτὸ ἤ μεριστόν ἐντι καὶ ποιεῖ τὰν ποσότητα, ἢ ἀμέριστον καὶ ποιεῖ τὰν ποότητα. — Οἱ δὲ λοιποὶ λόγοι ἐξ ἀπὸ τῆς τούτων μίξεως γίγνονται· ἁ γὰρ οὐσία τῇ ποσότητι μιγνυμένα ἢ ἐν τόπῳ ὁράεται καὶ τὸν τοῦ ποὺ λόγον ποιεῖ ἢ ἐν χρόνῳ καὶ τὸν τοῦ ποτὲ ἀποτελεῖ λόγον· τῇ δὲ ποότητι μιγνυμένα ἤ ἐνέργειαν ἔχει καί ἐντι τὸ ποιεῖν ἢ πάθος καὶ ποιεῖ τὸ πάσχειν· τοῖς δὲ πρός τι συντρέχουσα ἢ ἐν ἄλλῳ τίθεται καὶ τὸ κεῖσθαι λέγεται ἢ περιτίθεται ἑτέρῳ καὶ τὸ ἔχειν ἐντί.* Quae si in tabulae formam rediguntur, hunc conspectum praebent:



Quisquis opus illud composuerit, disciplinam Pythagoricam cum Aristotelica copulare animum induxisse videtur; etenim non a Pythagoreo illo celeberrimo Archyta id profectum esse jam Themistius vidit; quanquam, num falsarius aliquis claro nomine operi suo auctoritatem addere voluerit, an Peripateticus quidam eiusdam nominis illud composuerit, jam discerni non potest. Posteriorem sententiam amplexum esse Themistium, Boethius tradidit ad Arist. Cat. ed. Bas. p. 114. "Archites *) etiam duos composuit libros, quos *καϑόλου λόγους* inscripsit, quorum in primo haec decem praedicamenta disposuit. Unde posteriores quidam non esse Aristotelem huius divisionis inventorem suspicati sunt, quod Pythagoricus vir conscripsisset; in qua sententia Jamblichus philosophus est non ignobilis, cui non consentit Themistius neque concedit, fuisse Architem, qui Pythagoricus Tarentinusque esset, quique cum Platone aliquantulum vixisset, sed Peripateticum aliquem Architem, qui novo operi auctoritatem vetustate nominis conderet." Licet igitur multo post Aristotelem libri isti sint compositi, hoc nihilo minus iis affirmatur, aliquid similitudinis intercedere inter Aristotelis et Pythagoreorum de summis generibus doctrinas.

*) Ita nomen scriptum est a Boethio.

Quotquot in hanc disquisitionem incubuerunt, aliquid mutasse videntur, sed in ipsa Peripateticorum secta vix tantae dissensiones ortae essent, nisi aliae philosophorum scholae aliquid contra attulissent, quod Aristotelis divisionem infringeret; id quod praecipue factum est per Stoicos, quibus adscribitur summorum generum tabula ceteris multo simplicior et subtilior; quam fusius explicandam suscepi. Ut disquisitio de primis eius auctoribus recte institui possit, hoc jam loco praemonendum est, quatuor ab iis constitutas esse simplices notiones: *ὑποκείμενον* (substratum), *ποιόν* (quale), *πῶς ἔχον* (aliquo modo se habens), *πρός τί πως ἔχον* (aliquo modo ad aliquid relatum). Stoicorum disciplina vix condita, plures inter eos partes exstiterunt, quarum duae ceteris excellebant, alteri enim logicen, alteri ethicen magis elaborabant. Artis logicae fusius ad Zenonis principia tractandae auctor fuit Chrysippus *), quem qui seqnebantur, postea Chrysippeorum cognomine segregati, a ceteris Stoicis impugnabantur **). Chrysippo, opinor, accuratior quoque categoriarum adumbratio debetur, quippe quae cum toti eius systemati, tum maxime logicae fundamento fuerit. Nihilo minus Zenonem jam in hanc logices par-

*) Diog. Laert. VII. 84. 180.

**) Galen. de Plat. et Hippocr. decret. Vol. V. ed. K. Arrian. ad Epict. I. 4. 6. III. 2. 13.

tem incubuisse pro certo habemus, imo eam a prioribus philosophis acceptam sibi assumpsisse, veri non est dissimile. Zeno enim et Chrysippus de aliis rebus inter se dissentientes eo conveniunt, quod definitiones ad eadem summa genera seu categorias referunt *); quod vix fieri potuisset, si summorum generum systema Chrysippo acceptum non jam a Zenone esset compositum vel probatum. Praeterea Aristo **), qui Zenonis doctrinam immutasse dicitur, eo maxime a praeceptore discessit, quod virtutem ad aliud notionum genus referens ethices principium pervertit. Zeno praeterea cum logices vim ab Aristotele fractam primus restitueret eiusque fundamentum novaret, hanc partem praetermittere minime potuit. At Zenonem, cum partes philosophiae magis nova ratione composuerit, quam excogitaverit, tantae subtilitatis inventorem esse, vix est credibile! Quod si quis opponit, quaerendum est, a quonam Zeno logicen depromperit. In ethicis eum maxime Cynicos, in physicis Heraclitum inprimis secutum esse, satis constat; cuius vero logicen adoptaverit, non li-

*) Definitionum de iisdem rebus ab utroque propositarum exempla praebet Plutarchus de Stoic. repugn.

**) Chrysippus, ut Zeno, virtutem esse qualitatem contendit; Aristo vero eam annumerat iis, quae aliquo modo ad aliquid relata sunt. Diog. Laert. VII. 161. Galen. de Plat. et Hippocr. decret. VII. c. 1. ed. Kuhn. Vol. V. p. 589. Plut. de Stoic. repugn. c. 7.

quere, confitendum est, (qui enim huius materiam ei suppeditarunt, eos valde impugnavit, Aristotelem dico atque Megaricos,) nisi forte categoriarum historia rei aliquid lucis impertitur. Veteres quidem, quantum equidem scio, nihil de hac re tradiderunt, sed Marsilius Ficinus, homo perdoctus idemque antiquitatis monumentis instructus, quae partim post ipsum perdita sunt, aut nondum edita aut denique non obvia in nostris regionibus *), easdem categorias Cynicis tribuit. Quae enim Plotinus in Enneadibus contra quatuor illas categorias a Simplicio Stoicis vindicatas libro primo Enneadis sextae disputat, iis, nullo teste laudato, Ficinus praemonet: "Non sunt ponenda praedicamenta quatuor sub uno genere, quemadmodum plerique Stoicorum Cynicorumque posuerunt." Pauciora Cynicorum fragmenta nobis servata sunt, quam ex quibus dijudicari possit, num huic quoque disquisitioni operam dederint; atque, si dederunt, num ipsi hanc categoriarum rationem excogitaverint, an aliis etiam debuerint. Quod Cynici logicen tam parvi fecerunt, ut eam ne pro parte quidem philosophiae haberent, contra afferri non potest; neque enim parvam ab illis ei operam esse navatam, edocemur librorum ab Antisthene scriptorum indice, quem Diogenes Laërtius servavit (VI. 15). Quae cum ita sint, ad liqui-

*) Dexippi dico et Porphyrii commentarios in Arist. Categ.

dum quidem res perduci nequit; Marsilii enim Ficini auctoritas satisfacere nobis non potest; sed cum Zeno simili ratione ac Cynici logicen ad ethicen retulerit, ab iisdem etiam logices principia deprompta esse, non est incredibile. Praeterea Antisthenes de qualitate quaesivisse diserte traditur apud Simplic. f. 54. Z. *Καὶ τὸν μὲν ἵππον ὁρᾷν ὁμολογεῖ Ἀντισθένης, τὴν δὲ ἱππότητα μὴ ὁρᾷν.* Quo quidem ex loco simul discimus, consensionem Stoicorum et Cynicorum, si qua fuerit, non ad omnia singula pertinuisse; qualitates enim a Stoicis corpora creditas Antisthenes omnino esse negavit, qualia tantum et esse et corporalia esse concedens. Qua in re minus a Platone recessit, quam Stoici, quorum de categoriis doctrina ceterum e Platonica etiam disciplina deducenda est. Platonis enim inter essentiam et causam oppositio etiam apud Stoicos reperitur, eiusdemque ideae in Stoicis qualitatibus agnosci possunt. Quae vero cognatio Stoicis est cum Platone, ea etiam Cynici cum iis conjuncti sunt; quod hoc loco longius persequi non possumus. Hoc tantum addo, Zenonem Xenocrati et Polemoni non minus operae dedisse, quam Cráteti Cynico. Cynicorum igitur dividendi rationi Platonicam admiscuisse videtur Zeno. Cicero denique Antisthenem Stoicae sectae auctorem nominat (de orat. III. 17.).

Jam ad Chrysippum redeo, quem prae ceteris categorias tractasse contendi. Qui cum Stoam

fulcire dictus sit, hisce simplicibus notionibus, quasi firmioribus vinculis, totum systema colligasse vel ei columnas supposuisse mihi quidem videtur. Etenim cum non logicen tantum prioribus fusius et subtilius exponeret, sed definitiones maxime et emendaret et melius fundaret: harum fundamenta reconditius perscrutatus sit et, si qua laberentur, omni qua posset diligentia restituerit, eaque firmiora reddiderit necesse est; quod quidem factum esse eo probatur, quod cum in omnibus philosophiae partibus, quarum fragmenta tantum supersunt, restant vestigia, in quibus vincula ista atque firmamenta systematis agnoscantur, tum plurium librorum ab eo de definiendo et dividendo scriptorum inscriptiones adhuc leguntur *), tum ipse denique eorum, qui nominatim hanc rem tractasse dicuntur, ad tempus primus est. Plerumque Stoici communi nomine citantur atque si quis praeter Chrysippum nominatim adducitur, de categoriarum indole a ceterorum sententia decessisse videtur. Cuius generis a Simplicio afferuntur Antipater, Athenodorus, Cornutus atque Achaicus. Antipater **) in hac parte loquendi usum mutasse traditur, antea jam ab Academicis immutatum. Inter Chrysippum et Antipatrum cum nemo intercedat praeter Dionysium Baby-

*) In eius librorum indice, quem saepius attuli.

**) Simplic. l. l. fol. 54. *Γ.* et *Δ.*

lonium *), Chrysippi discipulum, Antipatri magistrum, rixae illius temporis vehementissimae inter Stoicos et Academicos, jam a Chrysippi aetate inde repetendae, etiam ad categorias pertinuerint oportet. Athenodorus **) Stoicus, qui contra Aristotelem de categoriis scripsit, Fabricio in catalogo Stoicorum Cordylio iste, qui cum Catone vixit, fuisse videtur. Cornutum ***) puto Annaeum esse illum, qui Neronis aetate Chrysippum imitatus est; quamquam in libro de categoriis contra Aristotelem et Athenodorum scripto a Chrysippo de multis rebus dissensit, siquidem recte contendo, quae in universum Stoicis tribuuntur, ea ad Chrysippum esse referenda. Athenodorus et Cornutus eo inter se convenerunt eodemque a ceterorum Stoicorum sententia discesserunt ****), quod in categoriis non cogitationum, sed vocabulorum divisionem quaerentes, iis multa grammatica intruserunt. Achaicus †) denique, quem non diversum esse suspicor ab illo, cuius ethice a Diogene laudatur ††), ceteris recentior, ad Aristotelis sententiam rediisse videtur. Ceterum si quis quaerit,

*) Aldobrand. ad Diog. Laërt. VII. 39. Ernesti. Cl. s. h. v.

**) Simplic. fol. 5. a. 15. b. et alibi.

***) Idem. f. 15. *A*.

****) Idem. f. 5. *A*.

†) Idem. f. 41. 51.

††) Lib. VII. 93. et interpr. ad h. l.

quinam Stoicorum auctoritatem Chrysippi minus reliquerint, mihi quidem Antipater, Archidemus, Zeno Tarsensis, Apollodorus atque Dionysius Babylonius tales *) esse videntur.

II.

In quanam logices parte Chrysippus doctrinam de summis generibus tractaverit.

Si jam quaerimus, quem locum Stoici huic disquisitioni assignaverint, antea ipsam logices partitionem, quae a nemine adhuc satis extricata est, inquiramus oportet. Inter varias Stoicorum logices disponendae rationes sola Chrysippi dispositio in integrum restitui potest, de quo, ne longius a proposito seducar, quam paucissimis absolvam. Chrysippus maxima cum subtilitate in rebus partiendis et ordinandis occupatus trium illarum philosophiae sectionum partes cum generales tum speciales **), ut ita dicam, constituit easque aliter ad discentium usum, aliter ad systematis rationem ordinavit ***). Qui librorum Chrysippeorum indicem apud Diogenem Laërtium exstantem ex Chrysippi mente in ordinem redegit, eam secutus est seriem, quam discipulis primo philosophiam

*) Hi saepius eiusdem sententiae fuisse dicuntur.

**) Diog. Laërt. VII. 84.

***) Plutarch. de Stoic. repugn. ed. Wyttenb. c. 9.

aggredientibus ipse praescripsit. Cui *) quae inest logices dispositio si comparatur cum logices epitome per Dioclem Magnetem facta apud eundem Diogenem servata, uterque Chrysippi ordo erui potest. Diocles enim Magnes hasce partes aperte distinguit:

1. περὶ κανόνων καὶ κριτηρίων §. 49 — 54.
2. περὶ φωνῆς §. 55 — 59.
3. περὶ ὅρων καὶ γενῶν καὶ εἰδῶν §. 60 — 62.
4. περὶ πραγμάτων §. 63. — 75.
5. περὶ συλλογισμῶν καὶ σοφισμάτων §. 76 — 83.

Quarum partium non prima solum, fere pro introductione habita, ceteris, dialectices nomine conjunctis, opponitur, sed ceterarum etiam secunda et tertia nomine περὶ φωνῆς latiore sensu, quarta et quinta inscriptione περὶ πραγμάτων in universaliores partes connectuntur. Quae disponendi ratio tota his verbis ad Chrysippum refertur (§. 62.): διαλεκτικὴ τυγχάνει (ὡς ὁ Χρύσιππός φησι) περὶ σημαίνοντα καὶ σημαινόμενα· ἐν μὲν οὖν τῇ περὶ

*) In fine libri septimi legitur hic index, ex quo disputo, quasi integer et in pristinum ordinem restitutus sit. Etenim non tantum dimidium eius interiit, sed ultima etiam folia unius codicis istius, ex quo omnes nostri libri manuscripti fluxerint necesse est, hoc loco male conglutinata esse videntur. Quae enim a vocibus περὶ ὁμοίων inde §. 199. usque ad voces περὶ τὴν ῥητορικὴν §. 203. leguntur, ante §. 189. inserenda sunt, ubi praeterea unum folium in codice, ceterorum fonte, defuisse suspicor.

φωνῆς θεωρίᾳ τοιαῦτα λέγεται τοῖς Στωϊκοῖς· ἐν δὲ τῷ περὶ τῶν πραγμάτων καὶ σημαινομένων etc. Ex quo loco hic efficitur logices conspectus:

λογική

1. περὶ κανόνων καὶ κριτηρίων — διαλεκτική

διαλεκτική: περὶ σημαινόντων — περὶ σημαινομένων

περὶ σημαινόντων:
2. περὶ φωνῆς.
3. περὶ ὅρων κ. γ.

περὶ σημαινομένων:
4. περὶ πραγμ.
5. περὶ συλλογ. κ. σ.

Rhetorice, quae alias cum dialectice logicen explevisse dicitur, secundum Chrysippum non peculiarem logices partem effecisse videtur *). Eaedem partes subdivisae, quae hic proferuntur, in indice, etsi alio ordine, reperiuntur; quae singulae, quamquam ne iisdem quidem nominibus in utroque loco insignitae, ex iis tamen, quae continent, facile inter se comparari possunt. Ne longus sim, cuique indicis parti partem ex prioribus respondentem adscribam:

1. λογικοῦ τόπου θέσεις, λογικὰ καὶ τῶν τοῦ φιλοσόφου σκεμμάτων.

3. περὶ ὅρων καὶ γενῶν καὶ εἰδῶν.

---

*) Nisi nomen rhetorices ipsum locum π. κανόν. κ. κριτ. indicavit, quod suspiceris e Seneca ep. 89.

2. λογικοῦ τόπου περὶ τῶν κοινῶν λόγων κατὰ τὰς ἐκ τούτων συνισταμένας τέχνας καὶ ἀρετάς. *)	1. περὶ κανόνων καὶ κριτηρίων.
3. λογικοῦ τόπου περὶ τὰ πράγματα.	4. περὶ πραγμάτων.
4. λογικοῦ τόπου περὶ τάς λέξεις καὶ τὸν κατ' αὐτὰς λόγον.	2. περὶ φωνῆς.
5. λογικοῦ τόπου πρὸς τοὺς λόγους καὶ τοὺς τρόπους.	5. περὶ συλλογισμῶν καὶ σοφισμάτων.

Itaque cuiusque partis indoles duplici ratione cognosci potest cum e Dioclis epitome, tum e librorum inscriptionibus, quas index enumerat. Cum ad systematis rationem in tertia parte, quae inscripta est *περὶ ὅρων καὶ γενῶν καὶ εἰδῶν*, Diocles summorum generum descriptionem et exempla proferat, in primaque indicis parte illi respondente libri enumerentur, in quibus de hac re disputatum est, quem in logice locum tenuerint categoriae apud Stoicos, satis manifestum esse videtur. Attamen ut huius partis cum ceteris connexus penitus

*) Ita hanc inscriptionem emendavi, in libris enim legitur *Ηθικοῦ τόπου*; sed libri sub ea enumerati logici sunt, atque *ΛΟΓΙΚΟΥ* facile cum *ΗΘΙΚΟΥ* commutari potuit.

perspiciatur, quomodo illi ad categorias constituendas pervenerint, breviter saltem exponendum est. Nulla logices fusior exstat explicatio ab ipsis Stoicis profecta. Quae enim de ea apud Diogenem traduntur, non ex ipso ullius Stoici libro, sed ex introductionis seu epitomes epitome eaque ne integra quidem excerpta sunt. Itaque ut vera logices Stoicae imago, quantum e fragmentis componi potest, nobis ob oculos ponatur, quaecunque apud varios scriptores passim reperiuntur, colligenda et ad epitomes illius ordinem redigenda sunt; id quod saepius quidem tentatum, nunquam vero omnibus, quae servata sunt, in auxilium vocatis subtilique judicio adhibito, perfectum est. Hic primas duxisse lineas sufficit, ita ut cohaerentiae magis ratio habeatur, quam amplitudinis. Locos ergo περὶ κανόνων καὶ κριτηρίων, περὶ φωνῆς et περὶ ὅρων καὶ γενῶν καὶ εἰδῶν percurrens, in iis tantum, quae a recentioribus aut omnino praetermissa sunt, aut falso composita, aut non satis explicata, paullo diutius commorabor.

Primus locus, si systematis rationem habemus, docet, quo modo animus ad percipiendum et cogitandum conformetur, sibi rerum notiones paret earumque veritatem persuadeat. Rerum (τυγχανόντων) *) imagines (αἰσθήσεις) a sensibus (αἰσθητη-

*) Sext. Emp. ed. Fabr. adv. Math. VIII. 11. Pyrrh. Hyp. II. c. 7. Joh. Philop. in Anal. pr. Ven. 1536 c. 60.

ρίοις) *) traduntur animo (ψυχῇ) vel eius parti principali (ἡγεμονικῷ) seu rationi (λόγῳ) **). Sensuum actio (quae et ipsa αἴσθησις vocatur) excitat rationis actionem, quae mens (διανοία) ***) appellatur. Mens enim rerum imagines comprehensione (καταλήψει) comprobatas rationi imprimit, cui impressae jam visionum (φαντασιῶν) ****) nomine gaudent. Si eiusdem rei visio saepius repetitur, notitia (ἐννοία, Begriff) exsistit, quae, de rebus in natura obviis concepta, anticipatio (πρόληψις) nominatur †). Itaque notitia ideoque etiam anticipatio de rebus tantum, sensui obviis, concipitur. Latius patet notio (ἐννόημα) ††) a mente efficta non de rebus tantum, quae sensibus cerni possunt, sed de variis etiam earum rationibus; quae quidem, quatenus Diis cum hominibus communis est, imaginationis (φαντάσματος) †††) nomine significatur. Etenim cum duplex sit visionum genus, sensibilium (αἰσθητικῶν) et non sensibilium ††††), quarum illae ad res sensibus subjectas expressae sint, hae mente concipiantur

*) Diog. Laërt. VII. 52.

**) Plut. de plac. philos. IV. c. 11.

***) Diog. et Plut. l. l.

****) Diog. Laërt. VII. 50. Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. II. c. 7.

†) Diog. Laërt. VII. 54. Plut. de plac. philos. IV. 11.

††) Plut. l. l. Stob. I. c. 13. p. 332. ed. Heeren. Diog. VII. 61.

†††) Plut. l. l. φαντάσματα, de homine dicta, sunt fictitiae imaginationes.

††††) Diog. VII. 51.

ex illis deductae, eodem modo notiones inter se diversae sint oportet, ut alterae iis rebus, ex quibus profectae sunt, accurate respondeant, alterae ad res ipsas referri non possint, sed sola mente efficiantur. Inter visiones enim et notiones nihil aliud interest nisi, quod illae de singulis rebus concipiuntur, hae omnibus eiusdem generis rebus communes sunt. Itaque sensibilibus visionibus respondent notitiae, hoc peculiari nomine gaudentes, quamquam et ipsae notiones vocantur, non sensibilibus notiones quasi sublimiores, nomine ipsis proprio non distinctae, quae incorporalium exemplo illustrantur, quo pertinent locus, tempus, vacuum et enuntiatum. Ex hac duplice notionum origine Sextus Empiricus lib. IX. adv. Math. 393. *) discernit *κατ᾽ ἐμπέλασιν τῶν ἐναργῶν νοούμενα* ab iis, quae *κατὰ τὴν ἀπὸ τῶν ἐναργῶν μετάβασιν νοούμενα* nuncuparunt, quorum posteriora rursus vario modo oriri dicuntur, quae longius persequi non huius est loci. Haec fere sunt, quae in prima parte de notionum origine disputabantur, quibus addebatur aliquid de earum veritate et nexu.

Nullae notiones cum aliis communicari, multae ne oriri quidem possunt, signis destitutae, quorum ope memoria teneantur inque aliorum intellectum edantur. Itaque cum omnes notiones

*) Cf. Diog. VII. 51. seqq.

vocibus demum fixae inter se comparari atque conjungi possint, in dialectice distinguenda sunt signa seu verba a signatis seu cogitationibus; ex qua distinctione, auctore Sexto Empirico libr. VIII. adv. Math. 11., logices dispositio deducitur: *Οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς τρία φασὶ συζυγεῖν ἀλλήλοις· τό τε σημαινόμενον καὶ τὸ σημαῖνον καὶ τὸ τύγχανον· ὧν σημαῖνον μὲν εἶναι φωνήν, οἷον τὴν Δίων· σημαινόμενον δὲ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα τὸ ὑπ' αὐτῆς δηλούμενον καὶ οὗ ἡμεῖς μὲν ἀντιλαμβανόμεθα τῇ ἡμετέρᾳ παρυφισταμένου διανοίᾳ, οἱ δὲ βάρβαροι οὐκ ἐπαΐουσι, καίπερ τῆς φωνῆς ἀκούοντες· τύγχανον δὲ τό ἐκτὸς ὑποκείμενον, ὥςπερ αὐτὸς ὁ Δίων. Τούτων δὲ δύο μὲν εἶναι σώματα, καθάπερ τὴν φωνὴν καὶ τὸ τύγχανον, ἓν δὲ ἀσώματον, ὥσπερ τὸ σημαινόμενον πρᾶγμα καὶ λεκτόν.* Nomina de hisce rebus Stoicis propria cum Aristotelicis comparat Johannes Grammaticus, qui Philoponus appellatur, ad priora Anal. Arist. Ven. 1536. c. LX., quem locum, ne cui contradicere videretur Sexto, adscribendum esse duxi: *Οἱ δὲ Στωϊκοὶ καινοτέραν βαδίζοντες τὰ μὲν πράγματα τυγχάνοντα ὠνόμασαν, δίοτι τῶν πραγμάτων τυχεῖν βουλόμεθα· τὰ δὲ νοήματα ἐκφορικά· διότι ἅπερ ἐν ἑαυτοῖς νοοῦμεν, ταῦτα εἰς τὸ ἔξω προφέρομεν· τὰς δὲ φωνὰς λεκτά.* Jam omnia bene cohaerent, *τυγχάνοντα* enim, quae ad locum *περὶ κανόνων καὶ κριτηρίων* referenda sunt, supra explicavi; *σημαῖνον*, quod et ipsum *φωνὴ* et *ἐκφορικὸν* vocatur, partem priorem dialectices *περὶ*

σημαινόντων seu *περὶ φωνῆς* inscriptam efficit, *σημαινόμενα* denique seu *πράγματα* seu *λεκτὰ* in altera parte, quae *περὶ σημαινομένων* nominatur, tractata sunt. Locus *περὶ σημαινόντων* seu *περὶ φωνῆς* amplectitur locum *περὶ φωνῆς* sensu arctiore, ubi de materia linguae agitur, et locum *περὶ ὅρων καὶ γενῶν καὶ εἰδῶν*, quo de notitiis et notionibus disputatur. Appellata (*λεκτά*), notionibus conjunctis effecta, continent *πράγματα* (res cogitatas) seu *ἀξιώματα* sensu arctiore i. e. propositiones seu enuntiata atque *συλλογισμούς*, conclusiones; qua ratione quinque partes subdivisae oriuntur, quas supra vidimus.

Categoriae, quippe quae ad notiones pertineant, in tertia parte *περὶ ὅρων καὶ γενῶν καὶ εἰδῶν* in disquisitionem vocatae sint, necesse est, id quod supra aliis argumentis ostendimus. Totius igitur logices cohaerentia explanata, maxime priorum partium ratione habita, tertiam partem jam fusius illustremus. Cuius ambitus et dispositio cum e librorum eo pertinentium nominibus *) optime cognosci possit, ea ad indicis ordinem adscribam, eorumque nexum et indolem e Dioclis epitome exponam.

---

*) De ratione *συντάξεων*, in quas loci indicis divisi sunt, hoc loco disputare nolui; fusiore enim disputatione indiget, quam differo ad dissertationem de Chrysippo scribendam.

1. περὶ τῶν ὁμοίων, γ'.
2. περὶ τῶν ὅρων, ζ'.
3. περὶ τῶν οὐκ ὀρθῶς τοῖς ὅροις ἀντιλεγομένων, ζ'.
4. πιθανὰ εἰς τοὺς ὅρους, β'.
5. περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν, β'.
6. περὶ τῶν διαιρέσεων, ά.
7. περὶ τῶν ἐναντίων, β'.
8. πιθανὰ πρὸς τὰς διαιρέσεις καὶ τὰ γένη καὶ τὰ εἴδη.
9. περὶ τῶν ἐναντίων, ά.
10. περὶ τῶν ἐτυμολογικῶν, ζ'.
11. ἐτυμολογικῶν, δ'.
12. περὶ παροιμιῶν, δ'.
13. περὶ ποιημάτων, ά.
14. περὶ τοῦ πῶς δεῖ τῶν ποιημάτων ἀκούειν, β'.
15. πρὸς τοὺς κριτικούς, ά.

Diocles et index librorum eo conveniunt, quod uterque definitiones, species, genera, divisionem atque poemata complectitur, eo vero discrepant, quod Diocles de poematibus disputationem praemittit, index eam post cetera ponit atque praeterea libros de proverbiis et etymologicis scriptos continet. Notionum enim origine et cum verbis conjunctione exposita, jam quomodo eius vis definiendo perciperetur, docendum erat, quod in quatuor primis libris, qui definitiones tractant, factum est; primus enim, variis rebus communia seu in iis paria exponens, de elementis definitionum

disseruit, secundus ipsam earum naturam exposuit, tertius, quae contra afferri possunt, redarguit, quartus ipsas e communi sensu probavit. Notiones definiuntur, dum in partes solutae aliis verbis exprimuntur; quod fieri non potest, nisi notioni universaliori subjiciuntur; notio illa subjecta species est; notio superposita genus; genus definiendum rursus generi superiori subjicitur. Generibus genera deinceps superponi possunt aut in infinitum aut ad certos fines; illud cum definiendi rationem totam sustulisset, summum quoddam genus erat quaerendum, ex quo cetera deduci, ad quod referri possent; de quo generum nexu in quinto libro actum est. Attamen cum de eadem re plures concipi possint notiones, una tantum notitia, notionum genera, quibus definitiones niterentur, distinguenda erant a notitiarum generibus, quae sunt etiam rerum, in quibus dividendis a summo genere usque ad singulas res descendi potest; quam rerum divisionem cum notionum generibus cohaerentem quidem, sed ab iis diversam Chrysippus in libro sexto exposuit. Quacunque ratione ad inferiora genera descenditur, haec similitudine in superiore conjuncta *oppositione* quadam distinguuntur, quare de oppositis seu contrariis seorsim in septimo libro disquisitum est. Liber octavus ea, quae quinto et sexto exposita erant, e sensu communi probavit, nonus denique opposita, de quibus in septimo actum erat, retractasse videtur,

nisi, cum antecedenti libro numerus desit, quem ceteris adjectum videmus, vocabula *περὶ ἐναντίων*, *ά* ad illum trahenda sunt, ut inscriptio significet, generum nexum et divisionem oppositione, quae in utroque eadem sit, e sensu communi esse probatam. Sequentes jam libri quid sibi velint hoc loco, difficilius est dictu, quamquam conjectura haud contemnenda haec difficultas solvi potest. Cum in hac logices parte notiones vocabulis fixae atque ab aetate priore posteriori traditae definitione circumscribendae et explicandae essent, ne quis fluctuante sermonis usu ex arbitrio sibi vocabulorum significationes fingeret, certi fontes, ex quibus hauriret, certae leges, quibus adstrictus esset, certi denique fines, ultra quos progredi non posset, constituendi erant. Itaque ut usus loquendi stabilitus esset, Stoici praecepisse videntur, ut vocabulorum significationes constituerentur ex etymologia, proverbiis atque poematis, quibus nemo fidem negare posset, quod vere a Chrysippo saltem factum esse, eius fragmenta librorum *περὶ ψυχῆς* uberrima, apud Galenum (in libro de Platonis et Hippocratis plac.) servata, aperte docent; argumenta enim plurima, cum ad sententias suas, tum ad notiones probandas et affirmandas ex tribus istis fontibus deprompsit.

Pro summo unico genere notionibus et rebus communi Stoici posuerunt *aliquid* (*τί*) *); quan-

*) Plotin. Ennead. VI. lib. I. c. 25. Senec. epist. 58.

quam genera iis proxima eodem nomine γενικώτατα appellantur; quae quomodo ex illo deriventur, in sequentibus docendum est. Restat solum, ut dissertationem disponam, quod optime ad librorum Chrysippeorum seriem fieri potest, ex quibus quinti, sexti et septimi argumentum persequendum mihi proposui. Itaque quatuor constituo partes, quarum prima de notionum generibus seu categoriis, secunda de rerum divisione, tertia de contrariis disseret, quarta denique cuiusnam momenti quaeque harum partium in philosophia Stoica fuerit, illustrabit.

PARS PRIMA.

De summis notionum generibus.

Caput I.

Quae summa notionum genera Stoici posuerint.

Notiones quomodo ad originem inter se diversae sint, supra dictum est; qua ratione secundum suam ipsarum indolem inter se discrepent, vel ad quae summa genera e Stoicorum mente referri possint, jam hoc loco explanetur oportet. Aristoteles, qui et ipse talia notionum genera constituisse supra dictus est, ea tamen a vocabulorum generibus non satis accurate distinxit. Peripatetici, duce Aristotele, non minus quidem, quam Stoici, alias orationis partes, alias categorias seu notionum genera posuerunt, Aristoteles autem in utrisque fundandis a lingua profectus categorias habuit vocabulorum genera per se specta-

torum *), orationis vero partes **) et ipsas vocabulorum genera, sed quatenus efficiunt continuam orationem; Stoici contra ab initio notiones a verbis discernentes, verborum quidem genera constituerunt ex orationis partitione ***), ut Aristoteles, categorias vero non ad illius exemplum e verborum discrimine deduxerunt, sed pro notionum generibus habuerunt. Quam scholae Peripateticae et Stoicae differentiam Simplicius ad Aristot. Cat. f. 3. A. ed. Bas. hisce verbis significat: *Ἄλλοι δὲ οὔτε περὶ τῶν σημαινουσῶν φωνῶν οὔτε περὶ σημαινομένων πραγμάτων εἶναι λέγουσι τὸν σκόπον, ἀλλὰ περὶ τῶν ἁπλῶν νοημάτων· εἰ γὰρ περὶ τῶν δέκα γενῶν ἐν τούτοις ὁ λόγος, ταῦτα δὲ ὕστερον καὶ ἐννοηματικά, περὶ νοηματικῶν ἂν εἴη ὁ λόγος· ὅτι δὲ περὶ τῶν λεγομένων ἐστί, σαφῶς εἶπεν ὁ Ἀριστοτέλης· τὰ δὲ λεγόμενα καὶ λεκτὰ τὰ νοήματά ἐστιν, ὡς καὶ τοῖς*

---

*) Arist. Categ. c. 2. *Τῶν λεγομένων τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεται· τὰ δὲ ἄνευ συμπλοκῆς* etc. c. 4. *Τῶν δὲ κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν* etc.

**) Quae l. l. *λεγόμενα κατὰ συμπλοκὴν* vocantur, aperte in libro de interpretatione fusius explicantur, ubi etiam de partibus orationis sermo est.

***) Dionys. Halic. de compos. verb. c. 1. *Θεοδέκτης καὶ Ἀριστοτέλης καὶ οἱ κατ᾽ ἐκείνους ὀνόματα καὶ ῥήματα καὶ συνδέσμους πρῶτα μέρη τῆς λέξεως ἐποιοῦντο· οἱ δὲ μετ᾽ αὐτοὺς καὶ μάλιστα οἱ τῆς Στωϊκῆς αἱρέσεως ἡγέμονες ἕως τεττάρων προὐβίβασαν χωρίσαντες ἀπὸ τῶν συνδέσμων τὰ ἄρθρα.* Cf. Priscian l. II. Diog. Laërt. VII. 57.

Στωϊκοῖς ἐδόκει, ἔδει δὲ τούτους ἐννοεῖν, ὅτι τὸ περὶ νοημάτων, καθὸ ἐννοήματα λέγειν οὐ λογικῆς, ἀλλὰ τῆς περὶ ψυχῆς ἐστι πραγματείας. Vocabulum *ἄλλοι* inprimis quidem libri Aristotelici commentatores spectat, sed laxius id esse accipiendum, jam eo cognoscitur, quod in refutanda eorum sententia decem categoriis fere pro exemplo utitur Simplicius, ex illisque *aliis* nominatim affert Stoicos. Itaque etiamsi grammatica ratione *ὡς καὶ τοῖς Στωϊκ.* ad ea tantum pertinet, quae a vocibus *τὰ λεγ.* inde leguntur, priora tamen et posteriora, quantum universalem produnt sententiam, non minus ad Stoicos referantur oportet; praesertim cum accurate conveniant cum iis, quae supra de Peripateticae et Stoicae logices discrimine dixi. Stoici quidem inter *λεγόμενα* et *λεκτὰ* et *νοήματα* distinxerunt, sed *λεγόμενα* et *λεκτὰ* hoc loco ad Peripateticorum loquendi usum sunt intelligenda, ex quo Stoicorum *λεκτὰ* Johannes Philoponus *φωνὰς* reddidit, Simplicius hic Stoicorum *νοήματα* eadem esse atque Aristotelis *λεγόμενα* et *λεκτὰ* significat.

Quo superiora sunt genera, eo minus compositae sunt notiones eorum, quare summa genera ipsae simplices notiones (*ἁπλᾶ νοήματα*) sunt, atque si unum ponitur summum genus, eius notio simplicissima sit oportet. Stoici unum quidem genus vere summum posuerunt, genera tamen ei proxima eodem nomine *γενικώτατα* appellabant. Quorum

ratione, quantum fieri potest, extrinsecus illustrata, jam illa ipsa aggrediamur.

Plotinus, Aristotelis de categoriis doctrina recensita, Ennead. VI. lib. I. c. 25. hoc modo in Stoicos invehitur: *Πρὸς δὲ τοὺς τέτταρας τίθεντας καὶ τετραχῶς διαιροῦντας εἰς ὑποκείμενα καὶ ποιὰ καὶ πὼς ἔχοντα καὶ πρός τί πως ἔχοντα καὶ κοινὸν τὶ ἐπ' αὐτῶν τιθέντας καὶ ἑνὶ γένει περιλαμβάνοντας τὰ πάντα, ὅτι μὲν κοινὸν τὶ καὶ ἐπὶ πάντων ἓν γένος λαμβάνουσι, πολλὰ ἄν τις λέγοι.* Quem locum ad Stoicos pertinere, plures aliorum scriptorum loci infra adducendi ostendunt. Qua ratione quatuor haec genera ad aliquid (*τί*) iis superpositum relata sint, cum non distincte proferatur, conjectura est assequendum. Divisionem in iis esse quaerendam, primo quidem obtutu Plotinus significare videtur, sed, cum Stoica eiusdem summi generis divisio aliunde nota omnino alia sit, alia etiam interpretatio quaerenda est, quam cum Plotinus, si quis accuratius attendit, hoc ipso loco indicet, tum quatuor generum indoles postulat. Vocabulum enim *διαιρεῖν* cum *τετταρῶς* conjunctum non nisi quatuor Stoicas categorias decem Aristotelicis opponit. Neque contendit quidem Plotinus, *aliquid,* ut genus, in quatuor species divisum esse, imo divisionem Stoicis tritam, infra exponendam, postea diserte ab hisce categoriis discernit. Itaque *τὸ τὶ* (quaecunque res seu aliquid) nullo alio sensu quatuor istis generibus commune atque superpo-

situm esse (*κοινὸν ἐπ' αὐτῶν ἐπιτιθέμενον*) eaque in se continere (*περιλαμβάνειν*) dici potest, nisi quod cuncta de ea praedicanda sunt, id quod singulis vocabulis breviter definiendis demonstrandum est. Ipsa enim vocabula eorumque connexus indicant vim categoriarum: notiones, quae singulas res earumque materiam et naturam hoc illove temporis momento significent, ad *substratum* (*ὑποκείμενον*) pertinere; eas contra, quae harum constitutionem atque facultates aperiant, ad *quale* (*ποιόν*) esse referendas; fluxam vero et mutabilem rerum conditionem esse *aliquo modo se habens* (*πῶς ἔχον*), rationes denique inter varias res obtinentes *aliquo modo ad aliquid relatis* (*πρός τί πως ἔχον*) adnumerari. Jam exemplo rem illustraturus sum. Socrates, quatenus hoc illove tempore hoc individuum est, e certis partibus compositum, *substratum* est; quoad vero hominum generi adnumeratur, est *quale*; idem disputans jam *aliquo modo se habet*, si denique, quia filium habet, pater est, *ad aliquid aliquo modo refertur*.

Quae notiones quatuor quomodo ex *aliquo* deductae sint neque hoc loco neque usquam traditur, imo quantum e Plotini verbis colligi potest, nullae aliae notiones inter *aliquid* et illas intercesserunt, quod quidem vix credibile, certe quod ad originem attinet. Substratum enim et quale, cum manens aliquid significent, entis nomine (*ὄν*)

appellantur, cui enti cum apud Antoninum (V. 23.) *γιγνόμενον* opponatur, hac notione comprehensum esse aliquo modo se habens et aliquo modo ad aliquid relatum, puto; quas notiones intercedentes, ni fallor, a Platone depromptas, ipsi Stoici fortasse consulto omiserunt; Platoni vero non hanc tantum quatuor categoriarum gignendi rationem debuisse mihi quidem videntur, quam postea missam fecerunt, sed etiam substrati seu materiae et qualitatis discrimen, quod semper retinuerunt. Itaque ut rationem dividendi a Platone et Cynicis, ut supra vidimus, sumpsisse, ita notiones inferiores seu subjectas magna ex parte Aristoteli acceptas retulisse videntur, id quod Aristotelicae categoriae a Simplicio f. 16. *Δ*. cum Stoicis collatae ostendunt: *Οἱ δέ γε Στωϊκοὶ εἰς ἐλάττονα συστέλλειν ἀξιοῦσι τὸν τῶν πρώτων γενῶν ἀριθμόν· καί τινα ἐν τοῖς ἐλάττοσιν ὑπηλλαγμένα παραλαμβάνουσι· ποιοῦνται γὰρ τὴν τομὴν εἰς τέσσαρα, εἰς ὑποκείμενα καὶ ποιὰ καὶ πὼς ἔχοντα καὶ πρός τί πως ἔχοντα. Καὶ δῆλον, ὅτι πλεῖστα παραλείπουσιν, τό τε γὰρ ποσὸν ἄντικρυς καὶ τὰ ἐν χρόνῳ καὶ ἐν τόπῳ· εἰ γὰρ τὸ πὼς ἔχον νομίζουσιν αὐτοῖς τὰ τοιαῦτα περιλαμβάνειν, ὅτι τὸ πέρυσι ὂν ἤτοι ἐν Λυκείῳ ἢ τὸ καθῆσθαι ἢ τὸ ὑποδεδέσθαι διακεῖταί πως κατά τι τούτων, πρῶτον μὲν πολλῆς οὔσης τῆς ἐν τούτοις διαφορᾶς, ἀδιαρθρωτὸς ἡ τοῦ πὼς ἔχειν κοινότης ἐκφέρεται κατ' αὐτῆς· ἔπειτα τὸ κοινὸν τοῦτο πὼς ἔχειν καὶ τῷ ὑποκειμένῳ ἁρμόσει καὶ τῷ ποσῷ μάλιστα.* "Stoici vero

summorum generum numerum in pauciora contrahere volunt, in quibus paucioribus nonnulla mutata retinent; faciunt enim sectionem quadruplicem in *substrata, qualia, aliquo modo se habentia* atque *aliquo modo ad aliquid relata.* Manifestum est, plurima ab iis praetermitti, *quantum* enim omnino et quae in *tempore* et *loco* sunt; etenim si putant, haec aliquo modo se habentibus contineri, quia vel prius vel in Lyceo vel sedere vel subligatum esse secundum aliquod eorum (*κατά τι τούτων*) aliquo modo se habeat; primo cum magna iis insit differentia, communio eorum, quae aliquo modo se habent, ex ea non satis ordinata (*ἀδιαρθρωτός — κατ᾽ αὐτῆς*) profertur, deinde commune hoc *aliquo modo se habere* et substrato et quanto maxime convenit." Quae a Simplicio contra Stoicos afferuntur, refellere supersedeo; quomodo vero Stoica ratio ab Aristotelica differat, hic exponendum est. *Substratum* Stoicorum primae Aristotelis essentiae seu substantiae (*οὐσία*) respondere, quale et ad aliquid relatum in utroque systemate reperiri, quamquam sensum non eundem habere, facile intelligitur. Aristotelis *quantum* (*ποσόν*), *quando* (*ποτέ*), *ubi* (*πού*), *situm esse* (*κεῖσθαι*), atque *habere* (*ἔχειν*), Stoicorum aliquo modo se habentibus adnumerari, cum exempla hic allata, tum testimonia infra adducenda ostendunt. Quibus enim exemplis Aristoteles categorias suas c. 2. §. 7. ed. Lew.

illustrat: *Ἔστι δὲ — ποὺ δὲ, οἷον ἐν ἀγορᾷ, ἐν Λυκείῳ· ποτὲ δὲ, οἷον χθὲς, πέρυσι· κεῖσθαι δέ, οἷον ἀνακεῖται, καθῆται· ἔχειν δὲ, οἷον ὑποδεδέσθαι* etc., eadem hic Simplicius a Stoicis aliquo modo se habentia esse credita narrat. De quanto, cuius exemplum deest, infra fusius disputabo. Efficere vero (*ποιεῖν*) et pati denique (*πάσχειν*), quae apud Aristotelem ultimum tenent locum, hic a Simplicio omissa, e Stoicorum mente cum ad aliquo modo se habentia, tum ad aliquo modo ad aliquid relata pertinere, non minus infra docendum est.

Caput II.

Substratum.

Cum primorum generum natura nullas admittat definitiones *), haec prima categoria, ut ceterae, ex differentiis tantum, quas in se continet, atque discrimine, quo a ceteris distinguitur, cognoscenda est; id quod per se difficile difficilius etiam est, quia nusquam disertis verbis descripta magna ex parte e physicis conjectura est restituenda.

---

*) Simpl. f. 51. *B.* *Τὰ γενικώτατα καὶ ἀρχηγικώτατα γένη δι' ἑαυτῶν ἀνάγκη σαφανίζεσθαι, ἅτε μὴ ἔχοντά τι καθολικώτερον, δι' οὗ κατὰ νόμον τις αὐτῶν ποιήσεται τὴν ἀπόδοσιν.*

Princeps, quae in substrato obtinet, differentia ne ex ipsa quidem Stoicorum disciplina affertur, sed a Simplicio ex Porphyrii libris, qui eam a Stoicis sibi assumpserat, deprompta est. f. 12. *Δ*. *Ὁ Πορφύριος διττόν, φησίν, ἐστὶ τὸ ὑποκείμενον οὐ μόνον κατὰ τοὺς ἀπὸ Στοᾶς, ἀλλὰ κατὰ τοὺς πρεσβυτέρους·* *) *ἥ τε γὰρ ἄποιος ὕλη, ἣν δυνάμει καλεῖ ὁ Ἀριστοτέλης, πρῶτόν ἐστι τοῦ ὑποκειμένου σημαινόμενον· καὶ δεύτερον, ὃ κοινῶς ποιὸν ἢ ἰδίως ὑφίσταται· ὑποκείμενον γὰρ ὁ χαλκός ἐστι καὶ ὁ Σωκράτης τοῖς ἐπιγενομένοις ἢ κατηγορουμένοις κατ' αὐτῶν. Πολλὰ οὖν, φησί, τῶν ἐγγινομένων, ὡς μὲν πρὸς τὸ πρῶτον ὑποκείμενον, ἐν ὑποκειμένῳ ἐστίν· οἷον πᾶν χρῶμα καὶ πᾶν σχῆμα καὶ πᾶσα ποιότης ἐν ὑποκειμένῳ ἐστὶ τῇ πρώτῃ ὕλῃ, οὐχ ὡς μέρη αὐτῆς ὄντα καὶ ἀδύνατα χωρὶς αὐτῆς εἶναι· ἐπὶ δὲ τοῦ δευτέρου ὑποκειμένου οὐ πᾶν χρῶμα οὐδὲ πᾶσα ποιότης ἐν ὑποκειμένῳ, ἀλλ' ὅταν μὴ συμπληρωτικαί εἰσι τῆς οὐσίας· τὸ γοῦν λευκὸν ἐπὶ μὲν τοῦ ἐρίου ἐν ὑποκειμένῳ, ἐπὶ δὲ τῆς χιόνος οὐκ ἐν ὑποκειμένῳ, ἀλλὰ συμπληροῖ τὴν οὐσίαν ὡς μέρος καὶ ὑποκείμενον μᾶλλόν ἐστι μετὰ τῆς οὐσίας· ὁμοίως δὲ καὶ ἡ θερμότης τῆς μὲν τοῦ πυρὸς οὐσίας μέρος ἐστίν, ἐν ὑποκειμένῳ δὲ γίνεται τῷ σιδήρῳ, ἐπειδὴ καὶ γίνεται καὶ ἀπογίνεται ἐν τῷ σιδήρῳ ἄνευ τῆς τοῦ σιδήρου φθορᾶς.* "Porphyrius, duplex, inquit, est substratum non secundum

---

*) Hanc igitur etiam substrati differentiam ab antiquioribus, credo, a Platone, Stoici mutuati sunt.

Stoicos tantum, sed etiam secundum veteriores; etenim materia qualitatis expers, quam Aristoteles *in potentia* vocat, prima est substrati significatio; altera, quod secundum communem aut singularem qualitatem subsistit; substratum enim est et aes et Socrates iis, quae ipsis accidunt aut de iis praedicantur. Multa eorum, quae accidunt, ad primum substratum relata, sunt in substrato, ut omnis color, omnis figura, omnis denique qualitas in substrato est primae materiae; neque tamen ita, ut eius pars sit, sed ut sine eo esse non possit; quod vero attinet ad secundum substratum, ei non omnis color, omnis qualitas in substrato est, sed non nisi quando non constitutivae partes sunt essentiae, album enim si de lana dicitur in substrato est, de nive vero non in substrato, sed complet eius essentiam, ut pars atque substratum potius sit cum essentia; hac ratione calor ignis quidem essentiae pars est, in substrato vero est ferro; quia et adest et deest ferro sine ferri interitu." Primum igitur substratum est materia nondum in qualitates versa, antequam mundus est creatus, neque ad logicen pertinet nisi, ut a secundo substrato distinguatur, quo referendae sunt singulae res, quas individua vocamus. Qualitates, quae e primo substrato ortae in ea quidem esse vel fuisse, neque tamen eius partem efficere dici possunt, ad secundum substratum duplici ratione referri possunt; etenim aut partem essentiae sub-

strati efficiunt, ut ipsum quasi e qualitatibus compositum sit, sicut ignis qualitas est calor; aut in substrato tantum sunt, ita ut, ipso non mutato aut deleto, abesse possint, ut calor in ferro. Haec materia e qualitatibus quidem composita, diversa tamen ab iis, a Stoicis sola *esse* dicitur, quod hisce Simplicii verbis inest f. 44. *Δ*: *ἔοικε Στωϊκῇ τινι συνηθείᾳ συνέπεσθαι, οὐδὲν ἄλλο ἢ τὸ ὑποκείμενον εἶναι νομίζων.*

Wyttenbachius V. Cl. in annotat. ad Bakei Posidonium, ceterum in hac antiquitatis parte valde versatus, illum vero priorem Simplicii locum male interpretatus, propter totius de summis generibus doctrinae ignorationem mihi quidem totam hanc de substrato et quali disquisitionem perturbasse, plures alios locos huc pertinentes falsis conjecturis et interpretationibus contaminasse videtur. Reperit enim in isto loco, quem modo explicavi, *ὑποκειμένων* divisionem in primum seu *οὐσίαν* et secundum seu *ποιόν*, *ποιοῦ* subdivisionem in *κοινῶς ποιὸν* et *ἰδίως ποιόν*; male confundens primo *οὐσίαν*, partem substrati, et ipsum substratum, deinde *δεύτερον ὑποκείμενον* et *ποιόν*; subdivisio *ποιοῦ* per se quidem vera est, sed non ad substratum pertinet. In quibus erroribus refutandis non diutius moror; etenim si equidem vera vidi, res ipsa se defendit.

Si quis studiosius in ea inquirit, quae Plotinus de Stoicorum substrato fusius et confusius disseruit,

vocem materiae (ὕλην), qua Simplicius substratum interpretatus est, apud ipsos Stoicos arctiore sensu partem tantum substrati significare inveniet, quae cum alia quadam re, variis nominibus gaudente, conjuncta et concreta veram substrati naturam efficit. Locos de hac re brevissimos eosque maxime perspicuos adducam. Apud Plotinum l. l. c. 25 initio leguntur: ὑποκείμενα μὲν γὰρ πρῶτα τάξαντες καὶ τὴν ὕλην ἐνθαῦτα τῶν ἄλλων προτάξαντες, ubi quid significent alia (τὰ ἄλλα) in substrato contenta, hic docet locus (c. 27.): ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς εὐπρεπείας ἕνεκεν ἐπεισάγεται παρά τε τῆς ὕλης ἔχων τὸ εἶναι. Oppositionem Dei et materiae Stoicis esse tritam, satis notum est, utrumque vero substrati notione in unum conjunctum esse, a recentioribus vel nusquam vel raro animadversum est. Substratum vero non universi tantum mundi, sed singularum etiam rerum, non prius tantum, mente conceptum, sed posterius etiam, ubique sensibus obvium, isto modo esse compositum secundum Stoicos, ipse pluralis vocis numerus (ὑποκείμενα) docet. Jam in Dei et materiae notionibus persequendis logicam substrati vim eruamus. Diogenes Laërtius VII. 134 differentiam in primo substrato ita exponit: Δοκεῖ δ' αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον. τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν, τὴν ὕλην· τὸ δὲ ποιοῦν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον, τὸν θεόν. Si vocabula perpendimus, quibus res explicata est, vox οὐσία notionem

logicam indicat, cui nulla alia vox *θεόν* significans in hoc quidem loco respondet, vocabulum enim *λόγος* vix eiusmodi esse videtur. Deum seu rationem Senec. ep. 65 etiam causam nominat, quae a Chrysippo apud Stobaeum I. 14. 1. p. 338. ed. Heeren ita definitur: *καὶ τὸ μὲν αἴτιον ὄν καὶ σῶμα καὶ ὅτι* i. e. "causa quidem est *ens* et corpus et cur aliquid sit." Itaque quod discrimen Posidonius (ap. Stob. I. 12. 5. p. 320) inter *οὐσίαν* et *ὕλην* ponit, *διαφέρειν*, inquiens, *τὴν οὐσίαν τῆς ὕλης κατὰ τὴν ὑπόθεσιν ἐπινοίᾳ*, idem inter *ὄν* atque *θεόν*, seu *λόγον*, seu *αἴτιον*, fuisse positum censeo, auctoritate nixus Stoicorum, qui haec vocabula eodem sensu usurpant. Notiones, quas in disquisitionem vocavi, fusius et magis perspicue explicant duo Chrysippi fragmenta ex eodem, opinor, libro a Stobaeo excerpta; quorum quod de essentia agit, prius interpretaturus sum (lib. I. 12. 5. p. 324): *Χρύσιππος* [*οὐσίαν εἶναί φησι*] *τῶν κατὰ ποιότητα ὑφισταμένων πρώτην ὕλην· ταύτην δὲ ἀΐδιον, οὔτε αὔξησιν οὔτε μείωσιν ὑπομένουσαν, διαίρεσιν δὲ καὶ σύγχυσιν ἐπιδεχομένην κατὰ μέρη, ὥςτε φθορὰς γίγνεσθαι ἐκ τῶν μερῶν εἴς τινα, οὐ κατὰ διαίρεσιν, ἀλλὰ κατ᾽ ἀναλογίαν τῇ συγχύσει τινῶν γινομένων ἔκ τινος.* — "Chrysippus contendit essentiam esse primam materiam eorum, quae secundum qualitatem subsistunt; eam vero oculorum aciem fugere neque augeri neque minui posse, discretionis tamen et concretionis in partibus participem, ut interitus

exsistat vel transitus ex aliis partibus in alias neque tamen ex vera discretione (*κατὰ διαίρεσιν*), sed ex similitudine quadam concretionis, qua singulae res aliae ex aliis fiant." Essentiam non ad posterius substratum minus, quam ad prius pertinere, docet Chrysippus; prima enim materia secundum Simplicium est prioris substrati; eandem vero Chrysippus in iis esse dicit, quae secundum qualitatem exsistunt i. e. e Simplicii definitione ad posterius substratum pertinent. Deinde materiae motum describens Chrysippus non veram fieri discretionem seu disjunctionem putat, quod, si quae partes dissocientur, eaedem simul cum aliis copulentur. Cuius discretionis et concretionis causam et ipsam in substrato latentem idem hoc modo apud Stobaeum. I. 18. p. 374. adumbravit: *Χρύσιππος δὲ τοιοῦτό τι διεβεβαιοῦτο· εἶναι τὸ ὄν πνεῦμα κινοῦν ἑαυτὸ πρὸς ἑαυτὸ καὶ ἐξ αὑτοῦ ἢ πνεῦμα ἑαυτὸ κινοῦν πρόσω καὶ ὀπίσω. — Ἡ τοιαύτη δὲ κίνησις*, addit Stobaeus, priorem locum respiciens, *κατὰ μόνους γίγνεται τοὺς νομίζοντας τὴν οὐσίαν πᾶσαν μεταβολὴν ἐπιδέχεσθαι καὶ σύγχυσιν καὶ σύστασιν καὶ σύμμιξιν καὶ σύμφυσιν καὶ τούτοις παραπλησία.* — "Chrysippus talia fere affirmat: ens esse spiritum semet ipsum versus se et ex se seu rursus prorsus moventem. Talis vero motus secundum eos tantum fit, qui essentiam putant omnem mutationem excipere et confusionem et compositionem et commixtionem et concretio-

nem*)." Haec substratorum secundi ordinis origo e primi substrati principiis cum hoc ipso loco, tum apud Alexandrum Aphrod. in Arist. lib. *περὶ μίξεως* p. 141. ed. Ald. ostenditur. Arctam essentiae et entis cohaerentiam utriusque definitione indicatam Syrianus etiam affirmat in Arist. Metaph. II. sec. vers. Bagol. p. 56. *Ἄλλων δὲ καὶ ποιητικὴν μὲν αἰτίαν ἀπολειπόντων, ἀχώριστον δὲ ταύτης τῆς ὕλης, καθάπερ οἱ Στωϊκοί.* **) — Eorundem principiorum non ab initio tantum, sed etiam nunc in quacunque re conjunctorum indolem laxius a Chrysippo expositam reperimus apud Plutarchum in libro de communibus notitiis contra Stoicos scripto, c. 44.; quem locum neque propter difficultates, quas praebet, negligere possumus. *Τί ἀξιοῦσιν οἱ πρόδικοι τῆς ἐναργείας οὗτοι καὶ κανόνες τῶν ἐννοιῶν* ***); *"ἕκαστον ἡμῶν δίδυμον εἶναι καὶ διφυῆ καὶ διττόν·" οὐχ ὥςπερ οἱ ποιηταὶ τοὺς Μολιονίδας* ****), *οἰόμενοι τοῖς μὲν ἡνωμένους μέρεσι, τοῖς δὲ ἀποκρινομένους· ἀλλὰ δύο σώματα ταὐτὸν ἔχοντα χρῶμα,*

---

*) Si Posidonius (in fragm. a Bakeo editis p. 54.) essentiam quali opponit, id quod Wyttenbachii mentem perturbavit, non jam essentiae et entis oppositioni repugnat, imo eandem accepit. Cf. eius Fragm. p. 41. etc.

**) Verba Graeca Brandisio V. Cl. debeo textum edituro.

***) *Οἱ πρόδικοι τῆς ἐναργείας καὶ κανόνες τῶν ἐννοιῶν* sunt nihil aliud nisi ipsae notitiae (*ἐννοίαι*) et anticipationes (*προλήψεις*), e Stoicorum sententia indices veritatis.

****) Apollod II. 7. 2. cf. Heyne. Eusthat. et Schol. ad Il. XI. 709. cf. Heyne ad hunc locum et XI. 750. et XXIII. 638.

ταὐτὸν δὲ σχῆμα, ταὐτὸν δὲ βάρος καὶ τόπον. [καὶ ταῦτα *)] ὑπὸ μηδενὸς ἀνθρώπων ὁρώμενα πρότερον· ἀλλὰ οὗτοι μόνοι εἶδον τὴν σύνθεσιν ταύτην καὶ διπλοὴν καὶ ἀμφιβολίαν, ὡς δύο ἡμῶν ἕκαστός ἐστιν ὑποκείμενα τὸ μὲν οὐσία, τὸ δὲ ὄν· **) καὶ τὸ μὲν (scil. οὐσία) ἀεὶ ῥεῖ καὶ φέρεται, μήτε αὐξόμενον μήτε μειούμενον, μήτε ὅλως οἷόν ἐστι διάμενον· τὸ δὲ (scil. ὄν) διαμένει καὶ αὐξάνεται καὶ μειοῦται καὶ πάντα πάσχει τἀναντία ***), θατέρῳ συμπεφυκὸς καὶ συνηρμοσμένον καὶ συγκεχυμένον καὶ τῆς διαφορᾶς τῇ αἰσθήσει μηδαμοῦ πάρεχον ἅψεσθαι. — Locum prius ad verbum interpretatus postea fusius explicabo: "Quid sibi volunt indices istae perspicuitatis et notitiarum regulae? Quemque nostrum esse geminum et ancipitem et duplicem — non quemadmodum poetae Molionides geminos, ancipites et duplices esse volunt, quos putant aliis partibus unitos, aliis disjunctos esse; — sed duo corpora, eundem colorem habentia, eandem figuram, idem pondus, eundem denique locum tenentia, a nemine prius animadversa; illi vero soli animadverterunt

*) *Καὶ ταῦτα* bene addidit Wyttenbachius.

**) Lacunam post voces *τὸ δὲ* Amiot explere voluit vocabulo *νοῦς;* Wyttenbachius *ποιότης* restituit cum in sua editione tum apud Hutten; in annot. vero ad Posidonium *ποιόν;* neutrum esse probandum, sed solum *ὄν* esse veram medicinam, loci de essentia et ente modo laudati satis manifeste docent.

***) Interpunctionem ab ipso Wyttenbachio retentam mutavi, comma, quod post *θατέρῳ* positum erat, ante hoc vocabulum ponens.

hanc compositionem et duplicitatem et ambiguitatem; duo quemque nostrum esse substrata et essentiam et ens, quorum *illa* semper fluat et feratur neque aucta neque deminuta neque omnino sic, ut sit, manens; *hoc* vero maneat et augeatur et deminuatur omniaque contraria patiatur priori concretum, coaptatum et confusum, ut differentia sensibus nunquam animadverti possit."

Duo vel plura etiam corpora sub eodem colore, eadem figura, eodem pondere, eodem denique loco i. e. in eodem substrato latere, ut in quoque corpore duo substrata esse dici possint, Stoici, qui corpora se invicem permeare (*σῶμα χωρεῖν διὰ σώματος*) contendebant, sibi constantes docuerunt. Ens enim non minus, quam essentiam esse corpus, facile intelligas; essentiam enim seu materiam haberi corpus, nemo dubitabit, quod disertis etiam verbis traditur apud Diog. Laërt. VII. 150: *ἡ οὐσία καὶ πεπερασμένη σῶμά ἐστι.* Cui definitioni si placitum Stoicorum conferimus a Simplicio ad Arist. Cat. f. 56. *Δ.* servatum: *οἱ δὲ Στωϊκοὶ ἡγοῦνται τὰ αἴτια ἀποτελουμένοις ἀφ᾽ ἑαυτῶν ὁμοούσια εἶναι*, ens, essentiae causam, seu efficiens corpus esse sequitur, quod Diog. Laërt. VII. 56. diserte significat: *πᾶν ποιοῦν σῶμά ἐστι.* Nihilo minus discrimen videtur esse positum inter corpora efficientia et patientia, inter corpora substrata et qualia. Itaque cum quale quidem a substrato diversissimum sit, si de duobus

substratis sermo est, ut apud Plutarchum, alterum eorum quale esse non posse, quod Wyttenbachius opinatus est, per se liquet. Praeterea si apud Posidonium (Stob. I. 21. 7. p. 434.) essentia et quale idque singulare inter se opponuntur, haec oppositio neque in omnes locos similes vel pro similibus habitos transferenda est, neque essentiae et entis oppositioni repugnat; imo accurate convenit eodemque Plutarchi capite detegi potest. Materia enim per se apud Posidonium distinguitur a materia, quae certam formam induit, seu quali singulari; quod ad formam manens, semper aliam materiam nunc plus nunc minus excipit. Materia vero, quae certo temporis momento formae cuidam inest, etsi illico eam relinquit, tamen augeri non potest; materia vero, quae, quamdiu durat aliqua res, ei per omne tempus adest, semper non mutatur tantum, sed etiam aut minuitur aut augetur; quo sensu Diog. Laërt. VII. 150. duplicem materiam distinguit: *Καλεῖται δὲ διχῶς οὐσία τε καὶ ὕλη, ἥτε τῶν πάντων καὶ ἡ τῶν ἐπὶ μέρους· ἡ μὲν οὖν τῶν ὅλων οὔτε πλείων οὔτε ἐλάττων γίνεται, ἡ δὲ τῶν ἐπὶ μέρους καὶ πλείων καὶ ἐλάττων.* Essentia igitur duplici sensu nec augeri nec minui posse dicitur aut universa, aut quae temporis puncto in substrato quodam reperitur; minima dico temporis parte, paullo enim post jam ex parte in aliud substratum transiit; de quo mutuo substratorum commercio, quod essentiae mutatione perficitur,

optimus Chrysippi locus in eodem Plutarchi capite exstat: *Συγχωροῦσιν οὗτοι, τὰς μὲν* *) *ἐν μέρει πάσας οὐσίας ῥεῖν καὶ φέρεσθαι τὰ μὲν ἐξ αὐτῶν μεθιείσας, τὰ δέ ποθεν ἐπιόντα προςδεχομένας· οἷς δὲ πρόςεισι καὶ ἄπεισιν ἀριθμοῖς ἢ πλήθεσι, ταῦτα μὴ διαμένειν, ἀλλ' ἕτερα γίνεθαι ταῖς εἰρημέναις προςόδοις, ἐξαλλαγὴν τῆς οὐσίας λαμβανούσης· αὐξήσεις δὲ καὶ φθίσεις οὐ κατὰ δίκην ὑπὸ συνηθείας ἐκνενικῆσθαι τὰς μεταβολὰς ταύτας λέγεσθαι, γενέσεις δὲ καὶ φθορὰς μᾶλλον αὐτὰς ὀνομάζεσθαι προςῆκον, ὅτι τοῦ καθεστῶτος εἰς ἕτερον ἐκβιβάζουσι·* **) *τὸ δ' αὔξεσθαι καὶ τὸ μειοῦσθαι πάθη σώματός ἐστιν ὑποκειμένου καὶ διαμένοντος.* — "Concedunt enim Stoici essentias fluere et ferri, alia ex se dimittentes, alia alicunde advenientia excipientes; quibus vero numeris seu multitudinibus haec accedunt et decedunt, ne ea quidem (i. e. ne substrata quidem) permanere, sed, essentia eorum excipiente mutationem, hisce accessionibus alternari; quas mutationes vocari auctiones et diminutiones, minus recte consuetudine invaluisse contendunt; imo generationes et interitus nominari decere, quia e conditione sua in aliam transeant (essentiae); auctiones vero et diminutiones esse corporis substrati eiusque perma-

*) Ita Wyttenbachius locum constituit; lectio vulgata *τὰς μὲν — τὰς δὲ* eundem fere sensum praebet, quanquam constructio durior est.

**) Recte Wyttenbachius pro vulgata *ἐκβιάζουσι* conjecit *ἐκβιβάζουσι.*

nentis" (i. e. entis). Id enim, quod in substratis alia dimittit, alia excipit, nihil aliud esse potest, nisi *ens* seu vis divina, quae omnia movens nunc fortior est nunc laxior, nunc has nunc illas potestates magis excitat. Quod entis officium Plotinus l. l. c. 28. hoc modo bene describit: *τὰ γὰρ σώματα νομίσαντες εἶναι τὰ ὄντα, εἶτα αὐτῶν τὴν μεταβολὴν εἰς ἄλληλα φοβηθέντες τὸ μένον ὑπ᾽ αὐτὰ τοῦτο ᾠήθησαν τὸ ὂν εἶναι.*

Primum distinctione inter prius substratum idque physicum et posterius, quod etiam in logicen cadit, facta, deinde differentia inter constitutivas substrati partes exposita, eius indoles et natura satis manifesta esse videtur, neque restat quidquam, nisi ut substratorum genera persequamur. Omnia corpora, quae sensibus sese offerunt, ex essentia constare et ente, ideoque esse substrata, jam quisque videt; quare Stoicam corporum divisionem a Sexto Empirico aliisque exhibitam recte huc trahere mihi videor. *Τῶν σωμάτων,* inquit *), *τὰ μέν ἐστιν ἡνωμένα, τὰ δὲ ἐκ συναπτομένων, τὰ δὲ ἐκ διεστώτων· ἡνωμένα μὲν οὖν ἐστι τὰ ὑπὸ μιᾶς ἕξεως κρατούμενα, καθάπερ φυτὰ καὶ ζῶα· ἐκ συναπτομένων δὲ τὰ ἐκ τῶν παρακειμένων καὶ πρὸς ἕν τι κεφάλαιον νευόντων συνεστῶτα, ὡς ἁλύσεις καὶ πυργίσκοι καὶ*

---

*) Adv. Math. IX. seu adv. Phys. I. §. 78. ed. Fabr. p. 322. ed. Gen. Cf. Sen. Ep. 102. Nat. Quaest. II. 2. Haec distinguendi ratio jam Pythagoreis tribuitur ap. Sext. Emp. adv. Math. VII. 102.

νῆες· ἐκ διεστώτων δὲ τὰ ἐκ διεζευγμένων καὶ ἐκ κεχωρισμένων καὶ καθ᾽ αὑτὰ ὑποκειμένων συγκείμενα, ὡς στρατιαὶ καὶ ποίμναι καὶ χοροί. "Corporum alia sunt unita, alia e coagmentatis, alia ex distantibus; unita igitur sunt, quae ab uno habitu reguntur, sicut plantae et animalia; e coagmentatis vero constantia ex diversis partibus conjunctis, iisque ad unum quoddam caput relatis, composita sunt, ut vincula, turres et naves; ex distantibus denique quae constare dicuntur, ex disjunctis discretisque partibus, iisque per se substratis, coacervata sunt, e. g. exercitus, greges et chori." Unita, quae nominavi, apud eundem l. l. §. 81. (ed. Gen. p. 523.), subdividuntur: *Ἀλλὰ τῶν ἡνωμένων σωμάτων τὰ μὲν ὑπὸ ψιλῆς ἕξεως συνέχεται, τὰ δὲ ὑπὸ φύσεως, τὰ δὲ ὑπὸ ψυχῆς· καὶ ἕξεως μὲν ὡς λίθοι καὶ ξύλα, φύσεως δὲ καθάπερ τὰ φυτά, ψυχῆς δὲ τὰ ζῶα.* "Unitorum corporum alia a simplici habitu continentur, ut lapides et ligna, alia a natura quadam, ut plantae, alia denique ab animo, ut animalia." Animo praedita rursus in plura genera subdividuntur, quae ex hoc Antonini loco cognosci possunt, ubi de diversis hominum studiis (VI. 14.) disserens: *Τὰ πλεῖστα*, inquit, *ὧν ἡ πληθὺς θαυμάζει, εἰς γενικώτατα ἀνάγεται τὰ ὑπὸ ἕξεως ἢ φύσεως συνεχόμενα, λίθους, ξύλα, συκάς, ἀμπέλους, ἐλαίας· τὰ δὲ ὑπὸ τῶν ὀλίγῳ μετριοτέρων εἰς τὰ ὑπὸ ψυχῆς, οἷον ποίμνας, ἀγέλας· τὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἔτι χαριεστέρων εἰς τὰ ὑπὸ λογικῆς ψυχῆς οὐ μέντοι καθολικῆς, ἀλλὰ καθὰ τεχνικὴ ἢ*

ἄλλως πως ἐντρεχὴς ἢ κατὰ ψιλόν, τὸ πλῆθος ἀνδραπόδων κεκτῆσθαι· ὁ δὲ ψυχὴν λογικὴν καθολικὴν καὶ πολιτικὴν τιμῶν, οὐδὲν ἔτι τῶν ἄλλων ἐπιστρέφεται. "Plurima eorum, quae multitudo admiratur, ad summa genera referuntur ab habitu vel a natura contenta, lapides dico, ligna, ficos, vites atque olivas; quae vero ii admirantur, qui paullo moderatiores sunt, pertinent ad summa genera ab animo contenta, ut pecora et greges; etiam meliores admirantur ea, quae animus rationalis continet, non illa quidem universalis, sed artificialis, vel cuiusvis rei peritus, vel etiam rudis, ut illud multitudinem mancipiorum alere. Qui vero animum rationalem eumque universalem et civilem magni aestimat, ceterorum curam jam non habet." Vocabulum *γενικώτατα* indicat, me recte haec ad doctrinam de summis generibus retulisse, ut vocabulum *ὑποκείμενον* in illo loco Sexti Empirici obvium ea ad substratum pertinere ostendit.

Quae ex coagmentatis constant, a Seneca (Epist. 102.) compositorum nomine appellata, ab eodem (Nat. Quaest. II. 2.) aut nexu aut acervatione composita esse dicuntur; e quibus cum nexu composita navis et funis exemplis illustrentur, acervatione composita frumenti exemplo, illa ex iis tantum composita esse videntur, quae simplici habitu unita sunt, haec vero ex iis, quae naturae (*φύσει*) unitatem debent. Ex distantibus denique ea tantum constare credita esse videntur, quae

animo praedita sunt; Seneca enim, exemplis exercitus, populi, senatus additis, "illi enim, inquit, per quos ista corpora efficiuntur, jure aut officio cohaerent, natura diducti et singuli." Quare haec eadem ex animorum diversitate subdividuntur apud Antoninum IX. 9. Mutua corporum attractione exposita, pergitur: *Καὶ τοίνυν πᾶν τὸ κοινῆς νοερᾶς φύσεως μέτεχον πρὸς τὸ συγγενὲς ὁμοίως σπεύδει ἢ καὶ μᾶλλον· ὅσῳ γάρ ἐστι κρεῖττον παρὰ τὰ ἄλλα, τοσούτῳ καὶ πρὸς τὸ συγκιρνᾶσθαι τῷ οἰκείῳ καὶ συγχεῖσθαι ἑτοιμότερον· εὐθὺς γοῦν ἐπὶ μὲν τῶν ἀλόγων εὑρέθη σμήνη καὶ ἀγέλαι καὶ νεοσσοτροφίαι καὶ οἷον ἔρωτες· ψυχαὶ γὰρ ἤδη ἦσαν ἐνταῦθα καὶ τὸ συναγωγὸν ἐν τῷ κρείττονι ἐπιτεινόμενον εὑρίσκετο, οἷον οὔτε ἐπὶ φυτῶν ἦν οὔτε ἐπὶ λίθων ἢ ξύλων· ἐπὶ δὲ τῶν λογικῶν ζώων πολιτεῖαι καὶ φιλίαι καὶ οἶκοι καὶ σύλλογοι καὶ ἐν πολέμοις συνθῆκαι καὶ ἀνοχαί· ἐπὶ δὲ τῶν κρειττόνων καὶ ἐκ διεστηκότων τρόπον τινὰ ἕνωσις ὑπέστη, οἷα ἐπὶ τῶν ἄστρων.* "Itaque omne communis rationalisque naturae particeps simili ratione, atque elementa, vel magis etiam ad cognata tendit; quo enim melius est ceteris, eo paratius est cum affinibus misceri et confundi; etenim in ipsis irrationalibus reperiuntur agmina, greges, pullorum nutricatio et quasi amores; animi enim jam in iis sunt atque in melioribus congregandi studium invenitur, quale nec in plantis neque in lapidibus neque in lignis. In rationalibus vero civitates, amicitiae, familiae, conciones atque in bellis paces

induciaeque. In iis denique, quae etiam meliora eademque ex distantibus sunt, unitas quaedam subsistit, qualis in sideribus."

Apparet quidem corporum genera esse constituta secundum dignitatem eorum certis gradibus distinctam, quorum quisque rursus habuerit minores gradus, minus accurate definitos. Cum quae composita vocantur et ex distantibus constantia ex unitorum differentiis originem duxerint, de horum discrimine prius est disserendum. Unitorum genera seu gradus definiti diversa entis et essentiae copulatione nituntur. Habitus enim et natura et animus cum irrationalis tum rationalis sunt entis in essentia minus magisve efficacis, ita se excipientes, ut efficacior quisque gradus comprehendat minus efficacem. Quodque genus certis finibus circumscriptum atque a ceteris discretum in se magnam dignitatis diversitatem admittit; inprimis quod rationali animo praeditum omnibus ceteris excellit, omnia in se continet. Similia secundum Stoicos se invicem attrahunt idque eo magis, quo majorem tenent dignitatis gradum. Quae cum ita sint, substrata cuiusque generis contracta aliam efficiunt conjunctionem. Unitorum partes sine commissura in unum coactae sunt, ceterorum vero extrinsecus conjunctae. Simplici habitu unita arctiorem conjunctionem magis admittunt, quam petunt, ut domus, naves et turres, quae nexu composita vocantur. Quae natura (φύσει)

unita sunt, minus conjunguntur, quam se invicem tangunt, (alioquin enim naturam suam perderent,) recteque acervatione composita appellantur, ut frumentum. Utraque cum non sua sponte, sed ab hominibus congregentur, ex coagmentatis constare dicuntur. Animo denique unita, ex conscientia quadam sua sponte congregata, cum minus arcte conjungi possint, ex distantibus constare dicuntur; quanquam quo perfectiora sunt, eo magis unitorum indolem imitantur. Ad animorum diversitatem etiam ex distantibus constantia sunt inter se diversa, aut animalium, ut greges, aut hominum, ut civitates, aut deorum, ut stellarum systema. Non diserte quidem tertium animorum genus Diis tribuitur, sed cum ἔτι κρείττονες ab hominibus distinguantur, exemplo stellarum illustrati, quas pro Diis habuerint, non nisi Dii et Daemones esse possunt.

Etiamsi omnia, quae huc usque disputavi atque ex testimoniorum auctoritate disputare potui, substrata non nisi corpora esse indicant, nihilo minus, etiam incorporea quaedam a Stoicis pro substratis esse habita vel substrata corporalia ipsis incorporalibus niti credita, statuere fere cogimur. Etenim si qualia corporum corporalia, incorporeorum incorporalia esse dicuntur, cum illa ad substrata corporalia referantur, haec ad incorporea eiusdem generis pertinuerint oportet. Quod si, nullis auctoribus laudatis, propter eximiam Stoicae

subtilitatis constantiam conceditur, rursus difficillimum est dictu, quaenam incorporeorum pro substratis sint habita. E quatuor incorporeorum generibus appellatum ad posteriores categorias pertinere, infra ostendemus, vacuum vero extra mundum positum ad substrata in mundo tantum obvia pertinere non potest, nisi toti mundo substratum esse creditum est, id quod veri non omnino est dissimile. Restant locus et tempus, quae cum a posterioribus diserte excludantur *), neque in solis qualibus numerari possint, hic in disquisitionem vocata sint necesse est; in sola enim qualia cadere non possunt, quia alia sint incorporea necesse est, quorum qualitates ab ipsis diversae significatae esse possint. Accedit quod locus et tempus ubique conjuncta atque inter se opposita ad posteriores duas categorias dissecandas adhibentur, quod fieri non potuit, nisi ipsa in prioribus jam explicata erant. Quo autem modo cum substratis corporalibus conveniant et cohaereant seu quae sit substrati corporea et incorporea comprehendentis notio, non minus latet; plurima saltem, quae de substratis corporalibus dicta sunt, in haec non quadrant, ut ad hunc praecipue locum Plotini vituperatio referenda esse videatur l. l. c. 25. prolata: *Καὶ γὰρ ὡς ἀσύνετον αὐτοῖς* (*τοῖς Στωϊκοῖς*) *καὶ ἄλογον τὸ τὶ τοῦτο καὶ οὐκ ἐφαρμόττον ἀσω-*

*) Plotin. l. l. c. 30.

μάτοις καὶ σώμασι. At pro categoriarum indole neque haec accurate et artificiose definiri possunt; atque si, testimoniis deficientibus, ne describere quidem possumus, certe tamen quisque sentiet, quomodo locus et tempus non minus, quam materiae et rationis seu essentiae et entis conjunctio, ceteris substrata sint *), imo haec ipsa illis tanquam substratis indigeat. Quomodo loci et temporis discrimen ad essentiam et ens referendum sit, si quaeritur, conjectura quidem assequimur, locum stabilem, cuncta comprehendentem magis ad essentiam, tempus vero semper fluens magis ad ens, motionem efficiens, pertinere. Praeterea cum, sicut mundus a vacuo, ita corpus substratum ab incorporeo, opinor, loco, finiri et includi credatur (Plut. de comm. not. c. 39.), in tempore si simile discrimen quaerimus, vacuo tempus infinitum, loco tempus finitum idque praesens opponi potest. Si vero locus tantum et tempus inter se opponuntur, hoc conjecturae meae non repugnat; in ceteris enim categoriis ad res singulas in mundo obvias pertinentibus nec vauucm nec tempus infinitum spectatur **). Neque tamen res hoc loco, quo mera conjectura tractae sint, fusius esse explicandas putavi, quare si quis

*) Sextus, ubi e mente Stoicorum disputat, locum saltem saepe ὑποκείμενον appellat e. g. Pyrrh. Hypoth. III. 26. 127.

**) Cf. Simpl. f. 88 et 89.

testimonia desiderat de totius vacui et temporis partitione et oppositione, eum ad secundam dissertationis partem, de rerum divisione disserentem, ablego.

Ceterum cum contraria juxta se posita magis elucescant, omnes notiones expositas in tabulae formam redactas exhibeo.

ὑποκείμενον

πρῶτον	δεύτερον
οὐσία	ὄν
ἡνωμένα	οὐχ ἡνωμένα
	ἐκ συναπτομένων
ἕξει	nexu compositorum
φύσει	acervatione comp.
	ἐκ διεστηκότων
ψυχῇ ἀλόγῳ	ἀλόγων
ψυχῇ λογικῇ	λογικῶν
ψυχῇ θείᾳ	θείων

σώματα

|

ἀσώματα

[ὅλον κένον]	[χρόνος ἄπειρος]
|	|
τόπος	χρόνος [ἐνεστώς]

Caput III.

Quale.

Qualis et *qualitatis* definitio rursus e discrimine inter hanc ipsam et ceteras categorias constituto repetenda est. Jam supra vidimus et in substratis et ipsa substrata esse qualia. Corpus enim *ἐξ ὕλης καὶ εἴδους* *) secundum Stoicos compositum esse, Plotinus c. 26. et 29. tradit; idem *ποιὰ* vocat *περὶ τὴν ὕλην πῶς ἔχοντα.* Quare materia qualitatis est expers, sed qualitates materiae expertes haud sunt **). Quam substrati et qualis differentiam distinctius exposuit Mnesarchus apud Stob. Ecl. Phys. I. 21. p. 436. ed. Heeren. *Τὸ δὲ μὴ εἶναι ταὐτὸ τό τε κατὰ τὸ ἰδίως ποιὸν καὶ τὸ κατὰ τὴν οὐσίαν, δῆλον εἶναί φησιν ὁ Μνήσαρχος· ἀναγκαῖον γὰρ τοῖς αὐτοῖς ταὐτὰ συμβεβηκέναι· εἰ γάρ τις πλάσας ἵππον, λόγου χάριν, συνθλάσειεν, ἔπειτα κύνα ποιήσειεν, εὐλόγως ἂν ἡμᾶς ἰδόντας εἰπεῖν, ὅτι τοῦτ' οὐκ ἦν πάλαι, νῦν δ' ἔστι, ὥς τε ἕτερον εἶναι τὸ ἐπὶ τοῦ ποιοῦ λεγόμενον τό τε ἐπὶ τῆς οὐσίας.* "Non idem esse id, quod secundum essentiam est (substratum) atque quod est secundum proprie quale, manifestum esse, dicit Mnesarchus, iisdem enim eadem accidere, esse necessarium. Si quis

*) Animadvertas Stoicorum cum Platone cognationem.

**) Quod e Dexippo affertur a Stanleio in Hist. phil. P. VII. c. 14.

enim, verbi gratia, cum equum finxerit, postea ex eo canem faciat, recte dici, hunc nunc esse, non antea fuisse; quare id, quod secundum proprie quale est (qualitas), non idem est atque quod secundum essentiam est (substratum)." Quod hic de proprie qualibus seu de individuorum qualitatibus praedicatur, eo magis valet de communiter quali. Nam equi qualitas seu equus in universum facilius a materia certi cuiusdam equi distingui potest, quam qualitas huius ipsius equi, (qua a ceteris equis discrepat), ab eiusdem materia. Jam in vocabuli *qualis* significatione constituenda hoc a sequentibus categoriis discernamus, quod factum est in Simplicii loco, qui de triplici vocis *ποιὸν* vi exstat f. 55. *A—B. Τῶν δὲ Στωϊκῶν τινες τριχῶς τὸ ποιὸν ἀφοριζόμενοι τὰ μὲν δύο σημαινόμενα ἐπιπλέον τῆς ποιότητος λέγουσι, τὸ δὲ ἓν ἤτοι τοῦ ἑνὸς μέρος συναπαρτίζειν αὐτῇ φασι· λέγουσι γὰρ ποιὸν καθ᾽ ἓν μὲν σημαινόμενον πᾶν τὸ κατὰ διαφοράν, εἴτε κινούμενον εἴη εἴτε ἐχόμενον καὶ εἴτε δυςαναλύτως εἴτε εὐαναλύτως ἔχει· κατὰ τοῦτο δὲ οὐ μόνον ὁ φρόνιμος καὶ ὁ πὺξ προτείνων, ἀλλὰ καὶ ὁ τρέχων ποιοί. Καθ᾽ ἕτερον δέ, καθ᾽ ὃ οὐκέτι τὰς κινήσεις περιελάμβανον, ἀλλὰ μόνον τὰς σχέσεις, ὃ δὴ καὶ ὡρίζοντο τὸ ἰσχόμενον κατὰ διαφοράν, οἷός ἐστιν ὁ φρόνιμος καὶ ὁ προβεβλημένος· καὶ τούτων δὲ τῶν ἐμμόνως ἰσχομένων κατὰ διαφορὰν οἱ μὲν ἀπηρτισμένως κατὰ τὴν ἐκφορὰν αὐτῶν καὶ τὴν ἐπίνοιάν εἰσι τοιοῦτοι, οἱ δὲ οὐκ ἀπηρτισμένως· καὶ τούτους μὲν παρῃτοῦντο,*

τοὺς δὲ ἀπαρτίζοντας καὶ ἐμμόνως ὄντας κατὰ διαφορὰν ποιοὺς ἐτίθεντο· ἀπαρτίζειν δὲ κατὰ τὴν ἐκφορὰν ἔλεγον τοὺς τῇ ποιότητι συνεξισουμένους, ὡς τὸν γραμματικὸν καὶ τὸν φρόνιμον, οὔτε γὰρ πλεονάζει οὔτε ἐλλείπει τούτων ἑκάτερος παρὰ τὴν ποιότητα· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ φίλοψος καὶ φίλοινος, οἱ μέντοι περὶ ἐνεργείας τοιοῦτοι, ὥςπερ ὁ ὀψοφάγος καὶ οἰνόφλυξ ἔχοντες μέρη τοιαῦτα, δι᾽ ὧν ἀπολαύουσιν, οὕτως λέγονται· διὸ καὶ εἰ μέν τις ὀψοφάγος, καὶ φίλοψος πάντως· εἰ δὲ φίλοψος, οὐ πάντως ὀψοφάγος· ἐπιλειπόντων γὰρ τῶν μερῶν, δι᾽ ὧν ὀψοφαγεῖ, τῆς μὲν ὀψοφαγίας ἀπολέλυται, τὴν δὲ φίλοψον ἕξιν οὐκ ἀνῄρηκε. Τριχῶς οὖν τοῦ ποιοῦ λεγομένου ἡ ποιότης κατὰ τὸ τελευταῖον ποιὸν συναπαρτίζει πρὸς τὸ ποιόν· διὸ καὶ ὅταν ὁρίζωνται τὴν ποιότητα σχέσιν ποιοῦ, οὕτως ἀκουστέον τοῦ ὅρου, ὡς τοῦ τρίτου ποιοῦ παραλαμβανομένου· μοναχῶς μὲν γὰρ ἡ ποιότης λέγεται κατ᾽ αὐτοὺς τοὺς Στωϊκούς, τριχῶς δὲ ὁ ποιός. — "Nonnulli Stoicorum triplici ratione definientes *quale*, duas significationes qualitatis notione latiores esse dicunt; alteram vero vel alterius partem ei parem; dicunt enim, quale primo significare omnia, quae secundum differentiam sunt, sive mota sint sive immota, sive difficile moveantur sive facile; qua ratione non solum prudens et calce feriens, sed etiam currens sunt quales. Altero loco, quo non jam motus amplectuntur, definiunt quale secundum differentiam valens, cuius generis est prudens et qui pugnantis statum tenet; atque horum secun-

dum differentiam continuo valentium alii perfecte secundum dictionem et cogitationem huiusmodi sunt, alii non perfecte; hos quidem seponunt, perfecte vero et continuo manentes ponunt quales secundum differentiam; perfectos autem secundum dictionem eos appellabant, qui qualitatem exaequant, velut grammaticum, prudentem; uterque enim horum neque desiderat quidquam neque abundat ad qualitatem: pariter etiam qui vinum et opsonium amant, qui ex efficacia sunt huiusmodi, ut qui opsonium edunt et vinum bibunt, cum participes sunt eorum, quibus vescantur, hoc nomine (ὀψοφάγος et οἰνόφλυξ) appellantur; quare si quis opsonium edit, etiam omnino opsonium amat; si vero obsonium amat, non semper edit, deficientibus enim opsoniis, quae edat, ab opsonii esu liber est, habitum vero opsonii amantem non amisit. Triplici igitur ratione cum qualia dicantur, qualitas secundum ultimum quale perfecto quali respondet; quare quando definiunt qualitatem "qualis conditionem seu affectionem," ita definitio accipienda est, ut tertium quale intelligatur; simpliciter enim qualitas dicitur secundum Stoicos, triplici autem modo quale." Facile intelligitur, hasce diversas vocis *quale* significationes ita propositas esse, ut prior quaeque posteriorem in se contineat; quare quidquid ultimae significationis est, idem in ceteras cadit, non vice versa. Solum vero tertium quale hoc nomine dignum

habuerunt Stoici; cetera enim seposuisse dicuntur (*παρῃτοῦντο*), atque ubicunque in Stoicorum fragmentis de quali sermo est, hoc aperte intelligitur; primum vero et secundum qualium genus sequentibus categoriis esse adnumerandum, infra videbimus. Quod denique nonnulli tantum Stoicorum tria qualium genera constituisse dicuntur, eo pertinere videtur, quod ceteri priora duo genera, vulgo quidem qualia appellata, hoc nomine omnino non significabant.

Etiamsi qualitates ad tertium quale solum exsistunt, tamen neque ex omnibus huius generis qualibus oriuntur, neque, in quibus ponuntur, ab iis diversae sunt. Definitur enim qualitas *σχέσις ποιοῦ* i. e. conditio seu affectio, opinor, stabilis, huic rei propria et essentialis, ut ita dicam, quae quali par esse dicitur ad indolem, ad perceptionem enim quale est concretum, qualitas indicat abstractum. Haec igitur qualitas in unitis tantum substratis locum tenere potest, cum cetera i. e. composita et ex distantibus substrata non nisi qualia esse possint qualitatis expertia, id quod Simplicius copiosius exposuit f. 55. E. *Οἱ Στωϊκοὶ δὲ κατὰ τὰς αὐτῶν ὑποθέσεις τὴν αὐτὴν ἂν ἀπορίαν προςαγάγοιεν τῷ λέγοντι λόγῳ, κατὰ ποιότητα πάντα τὰ ποιὰ λέγεσθαι· τὰς γὰρ ποιότητας ἑκτὰ λέγοντες οὗτοι ἐπὶ τῶν ἡνωμένων μόνων ἑκτὰ ἀπολείπουσιν· ἐπὶ δὲ τῶν κατὰ συναφήν, οἷον νεώς, καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ διάστασιν, οἷον στρατοῦ, μηδὲν εἶναι ἑκτόν, μηδὲ εὑρίσκε-*

σθαι πνευματικόν τι ἓν ἐπ᾽ αὐτῶν, μηδὲ ἕνα λόγον ἔχον, ὥςτε ἐπί τινα ὑπόστασιν ἐλθεῖν μιᾶς ἕξεως· τὸ δὲ ποιὸν καὶ ἐν τοῖς ἐκ συναπτομένων θεωρεῖται καὶ ἐν τοῖς ἐκ διεστώτων· ὡς γὰρ εἷς γραμματικὸς ἐκ ποιᾶς ἀναλήψεως καὶ συγγυμνασίας ἐμμόνως ἔχει κατὰ διαφοράν, οὕτως καὶ ὁ χορὸς ἐκ ποιᾶς μελέτης ἐμμόνως ἔχει κατὰ διαφοράν· διὸ ποιὰ μὲν ὑπάρχει διὰ τὴν κατάταξιν καὶ τὴν πρὸς ἑνὸς ἔργον συνέργειαν, δίχα δὲ ποιότητός ἐστι ποιά· ἕξις γὰρ ἐν τούτοις οὐκ ἔστιν· οὐδὲ γὰρ ὅλως ἐν διεστώσαις οὐσίαις καὶ μηδεμίαν ἐχούσαις συμφυῆ πρὸς ἀλλήλας ἕνωσίν ἐστι ποιότης ἢ ἕξις. — "Stoici vero secundum suas assumptiones eandem difficultatem moverent sermoni affirmanti, "secundum qualitatem omnia vocari qualia;" qualitates enim habita (ἑκτά) appellantes, hi in unitis solis relinquunt habita; in iis vero, quae nexu composita sunt, ut navis, iisque, quae ex distantibus constant, ut exercitus, neque spirituale quidquam reperiri unum, neque unam rationem habens, ut ad subsistentiam unius habitus perveniant; quale vero et in compositis conspicitur et in iis, quae ex distantibus sunt; sicut enim unus grammaticus e *quali* conceptione et disciplina continuo se habet secundum differentiam, ita chorus e *quali* usu continuo secundum differentiam se habet; quocirca qualia quidem subsistunt in eo propter ordinem et unius operae communionem; verum sine qualitate qualia sunt, habitus enim in hisce non est; neque enim omnino in distantibus

essentiis nullam inter se concretam unitatem habentibus qualitas sive habitus est." Suspicari aliquis possit, *secundum* quale hic obtinere, quia qualitatis sit expers, sed grammatici comparatione manifestum est, quale tertii generis esse intelligendum. Quae enim in unitis sunt corporalia, eadem in non unitis cum corporalia tum in universum omnino eiusdem modi sint necesse est, quanquam cum non cohaereant, unitatem, quae qualitatem efficiat, excludunt. Itaque qualia sine qualitatibus esse possunt, an vero in ipsis unitis qualia qualitates non constituentia posita sint, dubitandum est; quae enim supra *in substratis* qualia appellata sunt, ut ignis in gladio, et ipsa qualia sunt, neque tamen qualitates neque omnino qualia tertii generis, sed cum mutabilia sint, in secunda qualia ideoque in sequentem categoriam cadunt.

In loco, quem modo interpretatus sum, qualitates a Stoicis et habitus (ἕξεις) et habita (ἑκτά) vocatae esse dicuntur; quae notiones qualitatum vi comprehensae a simpliciter qualibus discernendae sunt. Neque tamen divisionem esse qualitatum in habitus et habita *), cum ex loco modo laudato, tum ex alio apud eundem Simplicium obvio intelligitur

---

*) Pro divisione qualitatum habuit has diversas eiusdem qualitatis rationes Stanley hist. philos. ed. Lat. Lips. 1711. P. VII. c. 14. auctore Bursio in dialectice Cic. IV. 3.

f. 54. Γ. Πολλὴ δὲ ζήτησίς ἐστι καὶ τίνας χρὴ οὐσιώδεις ποιότητας τίθεσθαι καὶ τίνας οὐ τοιαύτας· διὰ τί γὰρ μία καὶ ἡ αὐτὴ οὖσα ἡ λευκότης ἐπὶ ψυμμυθίου καὶ γάλακτος οὐσιώδης γέγονεν; Ἐπεὶ δὲ οὐ ῥάδιόν ἐστι διακρῖναι, ἐκάλουν μὲν οὖν τὴν ποιότητα καὶ ἕξιν οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Ακαδημίας ἀπὸ τοῦ ἔχεσθαι τὰς ἕξεις ἑκτὰ ἐκάλουν. "Magna etiam est quaestio, quas qualitates haberi essentiales oporteat, quas non; cur enim una eademque albitudo in cerussa et lacte essentialis est? Quod cum difficilius sit dijudicatu, qualitatem Stoici nominabant habitum; Academici vero habitus nominabant habita, quia haberentur." Academicos hoc loquendi usu cum Stoicis convenisse, ut habitus et ab ipsis Stoicis habita sint vocati, locus antea allatus docet. Jam quaerendum est, quid intersit inter habitus et habita. Qualitates vocantur habitus aperte, quia essentiales sunt et certa quadam ratione seu spiritu hoc illudve substratum continent et quasi colligant, ut unum sit, habita vero, quatenus a substrato habentur seu in iis ita reperiuntur, ut disjungi nequeant. Quaeque igitur qualitas a contrariis partibus spectari potest aut quatenus substratorum indolem et naturam constituit atque efficit, quo sensu habitus (i. e. habens, possidens, dominans) vocata essentiae seu tardae materiae opponitur, aut substrato alligata et quasi subjecta vocatur habitum (i. e. possessum, serviens), a qua parte si accipitur, enti opposita sit necesse est.

Habitus igitur et habitum simili ratione atque essentia et ens inter se cohaerent, ut alter sine altero cogitari non possit.

Ut natura qualitatum omnino perspiciatur, physicis, e quibus princeps earum causa est repetenda, rursus abstinere non possumus. *Οἱ δὲ Στωϊκοί*, inquit Simplicius f. 68. *E.*, *δύναμιν ἢ μᾶλλον κίνησιν τὴν μανωτικὴν καὶ πυκνωτικὴν τίθενται, τὴν μὲν* *) *ἐπὶ τὰ ἔσω, τὴν δὲ ἐπὶ τὰ ἔξω· καὶ τὴν μὲν τοῦ εἶναι, τὴν δὲ τοῦ ποιὸν εἶναι νομίζουσιν αἰτίαν.* "Stoici potentiam vel motum potius ponunt solutiorem et densiorem; hunc introrsum, illum foras tendere, hunc efficere ut aliquid *sit*, illum ut *quale* sit, putant." Potentia illa vel motus, qui causa est *τοῦ εἶναι*, quod solum de substrato praedicatur, non diversa esse potest ab ente; cuius motus cum in qualitates transiens dividatur, solutior et laxior evadit. Quae cum ita sint, qualitates ex ente ortae opponi possunt materiae seu essentiae **). Quo pertinet locus Plutarchi de Stoicor. repugn. c. 43.

---

*) *Τὴν μὲν* ad substantivum proxime antecedens referendum esse, sensus docet, exempla probant: Arist. Metaph. I. p. 16. ed. Brandis. Xenoph. Oecon. I. 16.

**) Conf. Wyttenbachium ad Posid. p. 270., qui locis huius similibus ex Eusebio et Plutarcho allatis adductus est, ut ubique quale et essentiam inter se opponi crederet; quae opinio quid effecerit, supra dixi.

Καίτοι πανταχοῦ τὴν ὕλην ἀργὸν ἐξ ἑαυτῆς καὶ ἀκίνητον ὑποκεῖσθαι ταῖς ποιότησιν ἀποφαίνουσι, τὰς δὲ ποιότητας πνεύματα οὔσας καὶ τόνους ἀερώδεις, οἷς ἂν ἐγγένωνται μέρεσι τῆς ὕλης εἰδοποιεῖν ἕκαστα καὶ σχηματίζειν. "Ubique materiam per se ignavam et immotam ostendunt substratam esse qualitatibus; qualitates vero, cum spiritus sint et vires aëriae, quibus materiae partibus copulentur, earum quamque formare et significare." Solutiores hae et laxiores potentiae, quas qualitates esse ostendimus, a Simplicio fusius illustrantur f. 58. *A* — *B.* in Plotini definitione qualitatis recensenda: *Ὁ δὲ Πλωτῖνος τὸ κοινὸν τῆς ποιότητος δύναμιν εἶναι ἔθετο, ἀφ᾽ ἧς τὸ ἔχον δύναται, ἃ δύναται. — Εἰ μὲν γὰρ, ὡς οἱ Στωϊκοὶ ἀποδιδόασι, δύναμίς ἐστιν ἡ πλειόνων ἐποιστικὴ συμπτωμάτων, ὡς ἡ φρόνησις τοῦ τε φρονίμως περιπατεῖν καὶ τοῦ φρονίμως διαλέγεσθαι, ἔσονται κατὰ τὸν τοιοῦτον διορισμὸν καὶ αἱ νῦν λεγόμεναι ἀδυναμίαι δυνάμεις· καὶ γὰρ αἱ ἀτεχνίαι πλείονα διαπτώματα ἐπιφέρουσιν. Εἰ μέντοι κατ᾽ ἄλλην διάταξιν τῶν Στωϊκῶν λέγοιτο δύναμις ἡ πλειόνων ἐποιστικὴ συμπτωμάτων καὶ κατακρατοῦσα τῶν ὑποτασσομένων ἐνεργειῶν, — καὶ οὕτως ἐφαρμόττει ὁ τοῦ Πλωτίνου ὅρος· καὶ γὰρ ἡ κακία ἀδυναμία οὖσα κατὰ τὸν τῶν Στωϊκῶν ὅρον κατακρατεῖ τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν· καὶ αἱ μέσαι τέχναι, ὡς ἂν ἀποπίπτουσαι τοῦ βεβαίως ἐνεργεῖν, ὅμως τοιαῦταί εἰσιν, ἀφ᾽ ὧν τὸ ἔχον δύναται, ἃ δύναται, ὥστε αἱ τοιαῦται ἀδυναμίαι περιέχονται ἐν τῇ κατὰ τὴν ποιότητα δυ-*

νάμει. — "Plotinus commune qualitatum esse posuit potentiam, ex qua id, quod habet eam, potest, quod potest. — Etenim si, ut Stoici definiunt, potentia ea est, quae plura accidentia vel casus profert, ut prudentia profert prudenter ambulare et prudenter disputare, ex hac etiam definitione, quae nunc vocantur impotentiae, erunt potentiae, nam et ipsae inertiae (ἀτεχνίαι) plura accidentia proferunt. Si vero secundum aliam Stoicorum constitutionem potentia appellatur, quae plura accidentia profert et actiones sibi subjectas regit, hoc etiam modo Plotini definitio quadrat; etenim et ipsa malitia (κακία), quae impotentia est, secundum Stoicorum definitionem suas peculiares regit actiones; atque artes mediae (nec bonae nec malae) etiamsi certae actionis non participes sunt, tamen eiusmodi sunt, ex quibus quod possidet eas, possit, quod potest, ut impotentias etiam tales potentia in qualitate spectata amplectatur." Quae accidentia vel actiones e qualitatis potentiis originem ducere dicuntur, sunt affectiones et motus, de quibus in sequenti categoria sermo erit. Qualitates igitur seu potentiae aliae alias generantes in universum a principio mundi usque ad eius finem permanent et unde initio profectae sunt, eo quondam redibunt. Dum durant, seminalium rationum nomine quamcunque in mundo mutationem efficiunt. Plotinus enim l. l. c. 29. *Εἰ δέ,* inquit, *τὰ ποιὰ ὕλην ποιὰν λέγοιεν, πρῶτον μὲν οἱ λόγοι*

αὐτοῖς ἔνυλοι, ἀλλ' οὐκ ἐν ὕλῃ γενόμενοι σύνθετόν τι ποιήσουσιν, ἀλλὰ πρὸ τοῦ συνθέτου, ὃ ποιοῦσιν, ἐξ ὕλης καὶ εἴδους ἔσονται. Quem locum Marsilius Ficinus recte interpretatus est: "Verum si qualia ipsa dicant materiam esse qualem, primo *seminales rationes* apud illos materiales quidem neque duntaxat in materia positae compositum quiddam efficient, sed ante compositum ab iis factum ex materia specieque constabunt." Qualitates igitur ex ente ortae a materia quidem sunt diversae, eam tamen formantes comprehendunt. Quas cum divina providentia genuerit et regat, *rationes* vocant, quatenus semet ipsae propagant, *rationes seminales*; id quod Antoninus docet l. IX. 1. — *ὁρμῇ τινι ἀρχαίᾳ τῆς προνοίας, καθ' ἣν ἀπό τινος ἀρχῆς ὥρμησεν [ἡ κοινὴ φύσις] ἐπὶ τήνδε τὴν διακόσμησιν συλλαβοῦσά τινας λόγους τῶν ἐσομένων καὶ δυνάμεις γονίμους ἀφορίσασα ὑποστάσεών τε καὶ μεταβολῶν καὶ διαδοχῶν τοιούτων.* — "Appetitu quodam antiquo providentiae, secundum quam a principio quodam natura communis tendit ad hunc mundi ordinem, rationes quasdam suscipiens eorum, quae futura sunt, et potentias genitales eorum, quae subsistunt et mutantur et consequuntur." In omni igitur mutatione sunt, quae durent seu permaneant; extremo tamen, in singulorum rerum interitu singulae, in mundi exitio cunctae rationes istae seu potentiae eo, unde profectae sunt, redeunt, quod hominis exem-

plo adumbrat idem Antoninus IV. 14. *) *Ἐνυπέστης, ὡς μέρος· ἐναφανισθήσῃ τῷ γεννήσαντι· μᾶλλον δὲ ἀναληφθήσῃ εἰς τὸν λόγον αὐτοῦ τὸν σπερματικὸν κατὰ μεταβολήν.* "Subsistebas ut pars, evanesces in parente vel in rationem seminalem recipieris." Talem entis seu Dei cum qualitatibus esse connexum cum ipsum rationis seminalis nomen illi et his commune **) ostendit, tum e loco Syriani manifestum est, (e vers. Bag. p. 83. 6.), ubi, Platonis de ideis sententia exposita, oratio ita continuatur: *Ὅταν δὲ λέγωσι μονάδα εἶναι εἰδῶν εἶδος, τὴν ἀρχηγικὴν αὐτῶν αἰτίαν ἐνδείκνυνται τὴν πάντα ἐν ἑαυτῇ τὰ εἴδη τῶν ἀριθμῶν προειληφυῖαν, ἣν καὶ οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς* ***) *ἓν πλῆθος οὐκ ὤκνουν καλεῖν, ἐπεὶ καὶ ὅταν περὶ τῶν θείων μονάδων διαλέγωνται, ἄλλως μὲν τὴν νοητὴν ἀφορίζονται, ἀφ᾽ ἧς ὁ πρώτιστος πρόεισιν ἀριθμὸς μονάδος ἐκ κευθμῶνος ἀκηράτου, ἄλλως δὲ τὴν νοερὰν καὶ δημιουργικήν, ἣν καὶ Δία καλεῖν ἠξίουν.* Quem locum Bagolinus hoc modo Latine vertit: "Cum autem dicunt, unitatem esse formarum formam [idearum ideam], initiativam ipsarum causam ostendunt, quae omnium in se numerorum formas praeassumpsit,

*) Conf. Anton VI. 24. Plut. de comm. not. c. 36. Bachius (De M. Aurelio Antonino. Lipsiae 1826.) p. 43. qui huic disputationi non justum assignavit locum.

**) Cf. Gataker ad Anton. IV. 14.

***) Eadem brevius expressa Chrysippeis tribuuntur a Jamblicho in Nicomachi Arithm. ed. Sam. Tennul. p. 12.

quam et Stoici unam multitudinem appellare non torpuerunt, quoniam et cum de divinis unitatibus disputant, aliter quidem intellectualem [cogitatam] unitatem determinant, a qua post procedit numerus unius ex latebra aeterna *), aliter vero intellectualem et opificam [cogitantem eamque creatricem], quam et Jovem vocari volunt." Numerorum et idearum apud Platonem connexum exponere non huius est loci **); quare solum quod ad Stoicarum idearum vim attinet, hunc Syriani locum explicabo. Omnes igitur ideae ex Platonis sententia in Deo velut unitate conjunctae sunt; quod concedentes Stoici Deum unam multitudinem vocarunt, eo tamen a Platone discrepantes, quod duplicem, ut ita dicam, idearum ad Platonis mentem acceptarum unitatem in Deo ponebant; altera enim, quam cogitatam vel intelligibilem (νοητήν) vocabant, Dei mens seu divina providentia esse videtur, comprehendens imaginationes (φαντάσματα), quas altera, quae est vis divina omnium rerum creatrix, in rationes seminales conformat. Quae rationes seminales quomodo e Deo profectae sint, jam dictum est; restat ut de imaginationibus disseram, de quibus Plut. de Placit. Philos. IV. 11. Ἔστι δέ, inquit, νόημα φάντασμα διανοίας λογικοῦ

*) Cf. Ruhnken. ad Timaeum p. 17.

**) De qua re optime disseruit Trendelenburgius in libro supra allato de Platonis Ideis et Numeris. p. 56. etc.

ζῶον· τὸ γὰρ φάντασμα, ἐπειδὰν λογικῇ προσπίπτῃ ψυχῇ, τότε ἐννόημα καλεῖται, εἰληφὸς τοὔνομα παρὰ τὸν νοῦν. Διόπερ τοῖς ἄλλοις ζώοις οὐ προσπίπτει φαντάσματα, ὅσα δὲ καὶ τοῖς θεοῖς καὶ ἡμῖν γε, ταῦτα φαντάσματα μόνον ἐστίν, ὅσα δὲ ἡμῖν, ταῦτα καὶ φαντάσματα κατὰ γένος καὶ ἐννοήματα κατ' εἶδος. "Notio est imaginatio mentis animalis rationalis; imaginatio enim, si cadit in animum rationalem, tum notio vocatur (*ἐννόημα*), nomen accipiens a noscendi vi (*νοῦς*). Hanc ob causam in alia animalia non incidunt imaginationes; quot vero et Diis et nobis obtingunt, imaginationes tantum sunt; quot vero nobis, imaginationes sunt in genere, notiones in specie." Imaginationibus Deo propriis opponuntur notiones hominibus propriae, quae non nisi Stoicorum ideae sunt; id quod Stobaei locus docet in Eclog. Phys. I. 13. 1. p. 332. *Ζήνων τὰ ἐννοήματά φησι μήτε τινὰ εἶναι μήτε ποιά, ὡσανεὶ δέ τινα καὶ ὡσανεὶ ποιὰ* *) *φαντάσματα ψυχῆς. Ταῦτα δὲ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων ἰδέας προσαγορεύεσθαι. Τῶν γὰρ κατὰ τὰ ἐννοήματα ὑποπιπτόντων εἶναι τὰς ἰδέας, οἷον ἀνθρώπων, ἵππων·*

---

*) Codd. exhibent *ὡσανει ποι φαντασματα;* Heeren restituit *ὡς ἂν εἴποι τις, φαντ.* Diogenes vero Laërtius VII. 61. eandem definitionem praebet his verbis: *Ἐννόημα δέ ἐστι φάντασμα διανοίας οὔτε τι ὂν οὔτε ποιόν, ὡσανεὶ δέ τι ὂν καὶ ὡσανεὶ ποιόν, οἷον γίνεται ἀνατύπωμα ἵππου καὶ μὴ πάροντος;* inde restitui Stobaei locum.

κοινότερον εἶπε πάντῃ *) *τῶν ζώων καὶ τῶν ἄλλων, ὁπόσων λέγουσιν ἰδέας εἶναι. Ταῦτα δὲ οἱ Στωϊκοὶ φιλόσοφοί φασιν ἀνυπάρκτους εἶναι καὶ τῶν μὲν ἐννοημάτων μετέχειν ἡμᾶς· τῶν δὲ πτώσεων, ἃς δὴ προςηγορίας καλοῦσι, τυγχάνειν* **). "Zeno notiones ait neque aliqua neque qualia esse, sed animo imaginationes velut aliquas et velut quales. Illas vero ab antiquis ideas vocari. Eorum enim, quae notionibus subjiciuntur, esse ideas, ut hominum et equorum, communius etiam, inquit, omnino animalium ac reliquarum rerum, quarumcunque ideas esse dicunt. Quas quidem Stoici exsistere negant, notionum nos participes fieri contendentes, in casus vero, quos appellativa cognominant, nos incidere." Itaque sicut in Deo rationes seminales et imaginationes monadum nomine comprehensae, ita in hominibus casus et ideae inter se contraria sunt, quae qualium generalium notione contineri ostendam, postquam idearum definitionem accuratius circumscripsero. Notiones latius patere, quam ideas, et supra docui et Heeren recte ex hoc loco agnovit et alii denique loci probant; quamquam sensu quodam arctiore de ideis praedicantur, ut a rebus ipsis distinguantur; quam ab causam eaedem

---

*) Codd. exhibent *πάντα;* H. mutavit *πάντων*, quod cum nihil novi addat, verbo *κοινότερον* repugnat, ad singula enim animalia respicit; equidem scripsi *πάντῃ* i. e. communius vel generalius animalium etiam formatur idea.

**) Male Heeren in fine aliquid desiderat.

nec aliqua nec qualia esse dicuntur. Hac enim ipsa re Stoici Platonis auctoritatem deseruerunt, quod ideas non in Deo, sed in hominum animis ponebant, quanquam in Deo reliquerunt rationes seminales et imaginationes, quarum hae Platonis ideis, illae eiusdem numeris non dissimiles sunt. Ideas praeterea non hominibus innatas, sed de rebus (casibus) conceptas et quasi abstractas putaverunt; quarum indolem ad mentem Stoicorum a Platone discedentem descripsit Syrianus ad Arist. Metaph. XII. c. 2. p. 59. e vers. Bagol. *Ἀλλ' ἵνα μὴ νῦν περὶ τὴν ἱστορίαν φανερὰν οὖσαν διατρίβωμεν, ῥητέον ἕνα λόγον περὶ Σωκράτους καὶ Πλάτωνος καὶ τῶν Παρμενιδείων τε καὶ Πυθαγορείων πρὸς αὐτόν, ὡς ἄρα τὰ εἴδη παρὰ τοῖς θείοις τούτοις ἄνδρασιν οὔτε πρὸς τὴν ῥῆσιν τῆς τῶν ὀνομάτων συνηθείας παρήγετο, ὡς Χρύσιππος καὶ Ἀρχέδημος καὶ οἱ πλείους τῶν Στωϊκῶν ὕστερον ᾠήθησαν — οὐ μὴν οὐδὲ νοήματά* *) *εἰσι παρ' αὐτοῖς αἱ ἰδέαι, ὡς Κλέανθης ὕστερον εἴρηκε.* Secundum Bagolini versionem: "Sed ne nunc circa enarrationem claram exsistentes tempus conteramus, dicenda est una ratio pro Socrate et Platone et Parmenideis et Pythagoreis contra ipsum (Aristotelem), quod ideae ab his divinis viris nec juxta locutionem consuetudinis

---

*) Defectus articuli ostendit notiones latius patere, quam ideas; cf. Plut. de Plac. Philos. I. 10. *Οἱ ἀπὸ Ζήνωνος Στωϊκοὶ ἐννοήματα ἡμέτερα τὰς ἰδέας ἔφασαν.*

nominum producebantur, ut Chrysippus et Archidemus et plures Stoicorum posterius putaverunt, verum nec notiones sunt apud eos ideae ipsae, ut Cleanthes posterius dixit." Chrysippus igitur notiones accuratius etiam definivit, e qua definitione nil reliquum est praeter hunc Procli locum, qui in eius commentariis ad Euclid. l. IV. ed. Bas. p. 103. legitur. Problematis localis (*τοπικοῦ*) i. e. quod ad corporum sectionem pertinet, hoc ille exemplum profert: *τὰ εἰς τὰς ἀσυμπτώτους καὶ τὴν ὑπερβολὴν ἐγγραφόμενα παραλληλόγραμμα ἴσα ἐστίν* *), quod ut illustret, e Gemino adducit Chrysippi locum: *Τὰ οὖν τοιαῦτα τῶν θεωρημάτων, ὥς φησι Γεμῖνος, ἀπείκαζεν ὁ Χρύσιππος ταῖς ἰδέαις, ὡς γὰρ ἐκεῖναι τῶν ἀπείρων ἐν πέρασιν ὡρισμένοις τὴν γένεσιν περιλαμβάνουσιν, οὕτως καὶ ἐν τούτοις τῶν ἀπείρων ἐν ὡρισμένοις τόποις ἡ περίληψις γίνεται.* Qui locus e Francisci Baroci versione ita se habet: "Huiuscemodi itaque theoremata (ut ait Geminus) Ideis Chrysippus assimilabat; nam quemadmodum illae infinitorum terminatis in finibus ortum comprehendunt, ita in his quoque infinitorum terminatis in locis comprehensio fit." Jam liquere puto eas notiones esse ideas, quae alias anticipationes vo-

*) "Parallelogramma, quae in lineis non coincidentibus et hyperbole inscribuntur aequalia sunt;" siquidem angulus, quem efficiunt lineae non coincidentes, omnibus est communis, angulus huic oppositus, qui attingit hyperbolen, suus cuique.

cantur (*ἔννοιαι τῶν καθόλου*), nisi latius etiam patent ideae, ut praeter res in natura obvias etiam eius partes constitutivas complectantur, quae num anticipationibus adnumerentur nescio. Certe ideae ad qualitates tantum pertinent, id quod diserte affirmat Plutarchus de comm. not. c. 45., ubi in hominum animis qualitates seu ideae numero infinitae esse dicuntur. Casus (*πτώσεις*) generalium qualium notione contineri supra indicavi, quod jam approbandum est. Casus ideis opponi, praeter Stobaei locum nos docet Simplicius f. 54. *Γ. Οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Ἀκαδημίας ἐκάλουν τὰ ἐννοήματα μεθεκτὰ ἀπὸ τοῦ μετέχεσθαι καὶ τὰς πτώσεις τευκτὰς ἀπὸ τοῦ τυγχάνεσθαι.* Rursus vocabulorum in Academia usus cum Stoica consuetudine convenit, Stoici enim non minus casus nobis obtingere dicebant, quos esse qualitates videmus, si appellativi nomen (*προςηγορία*), quo illustrantur, in disquisitionem vocamus. Appellativum apud Diogenem Laërtium VII. 58. hoc modo definitur: *Ἔστι δὲ προσηγορία μέρος λόγου σημαῖνον κοινὴν ποιότητα, οἷον ἄνθρωπος, ἵππος.* Cui definitioni si addimus, quod dictum est, casum nobis obtingere, casus sunt omnes singulae res cuiuscunque qualitatis. Restat locus Simplicii obscurior quidem, sed qui omnia comprehendens praetermitti non possit, f. 26. *E. Καὶ γὰρ καὶ Χρύσιππος* *) *ἀπορεῖ περὶ*

*) Praecedunt: *Ἄξιον δὲ ζητεῖν κατὰ τοὺς ὑπόστασιν διδόντας τοῖς εἴδεσι καὶ γένεσι, εἰ ῥηθήσεται τάδε εἶναι.* —

τῆς ἰδέας, εἰ τόδε τι ῥηθήσεται· συμπαραληπτέον δὲ καὶ τὴν συνήθειαν τῶν Στωϊκῶν περὶ τῶν γενικῶν ποιῶν, πῶς αἱ πτώσεις κατ᾽ αὐτοὺς προφέρονται καὶ πῶς οὔτινα τὰ κοινὰ παρ᾽ αὐτοῖς λέγεται. — "Etenim Chrysippus quoque dubitat, an idea *hoc aliquid* (i. e. substratum) appellanda sit. Simul vero animadvertenda est Stoicorum consuetudo (usus loquendi) in qualibus generalibus, quo sensu secundum ipsos casus proferantur, quomodo nulla apud eos vocentur communia." Casibus si opponuntur communia qualia, haec arctiore sensu ideas significent propter oppositum necesse est, neque minus apparet, has cum illis conjunctas a generalibus qualibus comprehendi; casus enim communibus istis qualibus opponi possunt, quatenus sunt singuli. Eadem ratione ideis generalium qualium nomine expressis opponuntur specialia; quomodo interpretandum esse Chrysippi locum apud Johannem Damascenum *) puto: *Χρύσιππος τὸ μὲν γενικὸν ἡδὺ νοητόν· τὸ δὲ εἰδικὸν καὶ προσπιπτον ἡδὺ* **) *αἰσθητόν;* idea enim cogitatur, casus in sensus cadens sentitur. Ut jam omnia in breve

---

Apud Stoicos ut apud Aristotelem *τόδε* et *τόδε τι* individuum significare videtur; cf. Arist. Metaph. ed. Brandis. p. 100. 1. et 9. p. 106. 21.

*) Haec e Cod. Flor. Johannis Damasceni ceteris codicibns uberiore excerpta Gaisford in lucem edidit ad calcem Sermonum Stobaei.

**) Cod. exhibet *ἤδη*, rescribendum esse duxi *ἡδύ*.

contraham: Qualitates quatenus in mente exsistunt, imaginationes (φαντάσματα) sunt, eaedem a Deo profectae mundum eiusque partes permeantes vocantur potentiae (δυνάμεις). Imaginationes illae a mente divina conceptae et creatae nullo alio nomine distinguuntur, in hominum vero animis repetitae efficiunt notiones (ἐννοήματα) seu ideas; eodem modo potentiae in universum acceptae Deo originem debentes sunt rationes seminales (λόγοι σπερματικοί), in singulis autem rebus spectatae, casus (πτώσεις) vocantur. Rationes rursus seminales atque imaginationes in Deo sedem habentes monadum nomine comprehendi, casus denique et ideas ad homines pertinentes in appellativorum et generalium notione qualium (γενικὰ ποιά) convenire supra jam dixi. Itaque Stoici Platonis et Aristotelis de ideis sententias inter se conciliare voluisse videntur; ideas enim, ut Aristoteles, exsistere concedunt, neque tamen in Deo, sed in hominibus ponunt, in Deo relinquentes earum fontes, rationes seminales, quae casibus manifestatae hominum mentibus se imprimunt. Quae vero ex hisce a Stoicis in hac philosophiae parte, quae in physicis disputata sint, difficillimum est dijudicatu.

Hactenus de qualitatibus sermo fuit, quoad pluribus rebus sunt communes; communibus vero qualitatibus opponuntur, quae singulis rebus sunt propriae. Etenim cum qualitatibus nitantur rerum differentiae, iis non genera tantum et species, sed

individua etiam inter se discrepent necesse est. Quo igitur modo in unaquaque re communes et peculiares inter se cohaereant, jam docendum erat ex ipsa qualitatis indole, quam ad hunc finem Simplicius aperit f. 57. E. *Οἱ δὲ Στωϊκοὶ τὸ κοινὸν τῆς ποιότητος τὸ ἐπὶ τῶν σωμάτων λέγουσι διαφορὰν εἶναι οὐσίας οὐκ ἀποδιαληπτὴν καθ' ἑαυτήν, ἀλλ' εἰς* ἐννόημα *) *καὶ ἰδιότητα ἀπολήγουσαν οὔτε χρόνῳ οὔτε ἰσχύϊ εἰδοποιουμένην, ἀλλὰ τῇ ἐξ αὐτῆς τοιουτότητι, καθ' ἣν ποιοῦ ὑφίσταται γένεσις· ἐν δὲ τούτοις εἰ μὴ οἷόν τε κατὰ τὸν ἐκείνων λόγον κοινὸν εἶναι σύμπτωμα σωμάτων καὶ ἀσωμάτων οὐκ ἔτι ἔσται γένος ἡ ποιότης, ἀλλ' ἑτέρως μὲν ἐπὶ τῶν σωμάτων, ἑτέρως δὲ ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων αὕτη ὑφέστηκε καὶ ὑπ' ἄλλα γένη διὰ τοῦτο ταχθήσεται. Τούτου δὲ ἔτι ἀτοπώτερον λέγεται τὸ μὴ ἔχειν ὑπόστασιν τὰς ποιότητας, ἀλλ' εἰς ἐννόημα αὐτὰς καταλήγειν· εἰ μὴ ἄρα οὐχ οὕτως ἐλέγοντο εἰς ἐννόημα καὶ ἰδιότητα ἀπολήγειν, ὡς ἀνυποστάτου οὔσης τῆς ποιότητος, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἦν ἀποδιαληπτὴ καθ' ἑαυτήν, ὥσπερ ἡ οὐσία, ἀλλ' ἐννοίᾳ καὶ ἰδιότητι χωριζομένη· ἡ δὲ ἐξ αὐτῆς τοιουτότης ἀσαφής τέ ἐστι καὶ οὐδὲν ἧττον τῇ οὐσίᾳ προσήκει ἤπερ τῇ ποιότητι, εἰ μὴ ἄρα τὸ* τοιοῦτον *ποιότητός ἐστιν ἴδιον, ὥσπερ τὸ* τοῦτο *μᾶλλον οὐσίας. Πῶς δὲ λέγουσι, "καθ' ἣν ποιοῦ ὑφίσταται γένεσις," εἴπερ ὁμοούσιοί εἰσι τοῖς ἀποτελουμένοις ὑφ' ἑαυτῶν;*

---

*) Libri exhibent *ἓν νόημα*; iidem cum postea habeant *ἐννόημα*, hoc ubique restitui.

ἐπειδὴ καὶ αὗταί εἰσι σωματοειδεῖς, συνθετοί τε καὶ αὗται παραπλησίως εἰσίν. "Stoici qualitatibus in corpore esse commune dicunt essentiae differentiam per se non separabilem, sed quae in notionem et proprietatem desinat, nec tempore, nec vi externa ad speciem suam redacta, sed sua ipsius talitate *), ut ita dicam, secundum quam qualium exsistit origo. In quibus si secundum illorum sententiam corporalibus et incorporalibus nihil est commune; non jam genus est qualitas, sed aliter in corporibus, aliter in incorporalibus exsistit atque ad diversa genera redigenda est. Quo etiam absurdius qualitates nullam exsistentiam habere dicuntur, sed in notionem desinere, nisi forte in notionem et proprietatem desinere dicebantur, non quasi non exsistat qualitas, sed quia non per se separabilis sit, ut essentia, sed notione et proprietate discernatur. Talitas vero intelligi non potest, neque minus essentiae convenit, quam qualitati; nisi forte *tale* qualitati proprium est, ut *hoc* potius essentiae. At quomodo dicunt "*ex qua qualium exsistit origo,*" siquidem qualitates sunt essentiae eiusdem, cuius ea, quae ab iis efficiuntur; cum hae **) quoque corporales sint, etiam compositae

---

*) Talitas, ex qua oriri dicuntur qualitates, nihil nisi ens esse potest.

**) Voc. *αὗται* [*ποιότητες*] respicit ad *ἀποτελουμένοις*; compositae esse dicuntur, utpote corporales, ex ente et essentia, quod posthac persecutus sum.

sunt simili ratione." Quae antea de qualitatibus disputata sunt, ut hoc huius loci interpretandi causa praevertam, ad corporales tantum pertinent; a quibus distinguuntur hic incorporales; quod discrimen Simplicius diserte exposuit f. 56. *Δ. Οἱ δὲ Στωϊκοὶ τῶν μὲν σωμάτων σωματικάς, τῶν δὲ ἀσωμάτων ἀσωμάτους εἶναι λέγουσι τὰς ποιότητας· σφάλλονται δὲ ἀπὸ τοῦ ἡγεῖσθαι τὰ αἴτια τοῖς ἀποτελουμένοις ἀφ' ἑαυτῶν ὁμοούσια εἶναι καὶ ἀπὸ τοῦ κοινὸν λόγον τῆς αἰτίας ἐπί τε τῶν σωμάτων καὶ ἐπὶ τῶν ἀσωμάτων ὑποτίθεσθαι.* "Stoici vero corporum corporales, incorporeorum incorporales esse qualitates contendunt. In errorem vero inducti sunt rati causas atque ab iis effecta esse eiusdem essentiae (*ὁμοούσια*) eandemque causarum rationem in corporibus et incorporeis supponentes." De incorporeis vero et qualitatibus incorporalibus cum praeter haec nihil tradatur, utraque obiter tantum tractata esse crediderim, praesertim cum Plotinus, quod in hac parte Stoici corporeorum atque incorporeorum non aequam habuerint rationem, vituperare videatur; quanquam cum qualitates incorporales incorporeorum tantum esse dicantur, de hisce etiam disputatio praemissa sit, oportet, quod non alibi factum esse, quam ad calcem doctrinae de substrato, supra monui. Itaque incorporales qualitates aut ad tempus aut ad locum pertinere, ex iis, quae supradixi, apertum est. Quae denique hoc loco de corporalium et incorporalium

discrimine exposui, a Stoicis ad finem doctrinae de qualibus disputata esse videntur. Ut jam ad locum Simplicii, ex quo profectus sum, interpretandum redeam, qualitates, quas ex ente originem ducere ostensum est, essentiae efficere differentiam hic docemur *), quare qualitates a Stoicis et ipsae ens et essentiam continere dicuntur in hoc Simplicii loco f. 56. *Δ. Πῶς δὲ καὶ πνευματικὴ ἡ οὐσία ἔσται τῶν σωματικῶν ποιοτήτων, αὐτοῦ τοῦ πνεύματος συνθέτου ὄντος καὶ ἐκ πλειόνων συνεστηκότος μεριστοῦ τε ὑπάρχοντος καὶ ἐπίκτητον ἔχοντος ἕνωσιν, ὥστε οὐ κατ᾽ οὐσίαν ἔχειν τὸ συνηνῶσθαι, οὐδὲ πρώτως ἀφ᾽ ἑαυτοῦ, πῶς οὖν ἂν τοῖς ἄλλοις τοῦτο παρέχοι τὸ συνέχεσθαι;* "Quomodo spiritualis essentia erit corporalium qualitatum, ipso spiritu composito atque ex pluribus partibus constante et partitionem admittente unitatemque extrorsum petitam habente, ut neque secundum essentiam unitatem habeant neque primo a semet ipsis? quomodo igitur aliis hoc praebent, ut una seu unita sint (*τὸ συνέχεσθαι*)?" — Quae hoc loco ob entis et qualitatum compositionem a Stoicis statutam vituperantur, vix aliud quam entis et essentiae conjunctionem indicare possunt. Praeterea unitatem substratorum

*) Unde apparet, qualia, ex ente orta, ad essentiam quoque referri posse, quod factum est apud Antoninum. XII. 30. *Μία οὐσία κοινή, κἂν διείργηται ἰδίως ποιοῖς σώμασι μυρίοις.*

qualitatibus seu certa essentiam et ens conjungendi ratione constare, ex eodem loco probatur. Essentiae igitur differentia, ex ente orta, est qualitas, per se non separabilis, sed quae notione comprehensa in proprietatem exit; quodque igitur substratum unitum unam principem habet qualitatem, a qua continetur ut unum, quippe quae ideam exprimat, proprietatem tamen sibi adjunctam habeat, qua substratum singulare ab omnibus eandem ideam servantibus distinguatur. Ad hanc notionem seu ideam efficiendam nec tempus nec ulla vis externa confert; sua enim ipsius potentia, quam *talitatem* vocant, qualitates servantur et propagantur. Hac igitur ratione quaeque res habet qualitatem, in qua notio seu qualitas communis a proprietate distinguenda est, quarum utraque qualitatis nomine insignitur; imo quaeque qualitas amplius etiam dividi potest, ideoque plures in se amplecti dicitur apud Simplicium f. 70. *E. Καὶ οἱ Στωϊκοὶ δὲ ποιότητας ποιοτήτων ποιοῦσιν, ἑαυτῶν ποιοῦντες ἑκτὰς ἕξεις· οὐ δέοντες γὰρ οὐκέτι τῶν τὰς διαφορὰς περιεχουσῶν· οὔτε γὰρ ἑαυταῖς αἱ ποιότητες ἀλλήλων διαφέρουσιν.* "Stoici etiam qualitates qualitatum faciunt in semet ipsis ponentes habitos habitus; ita enim non jam aliis qualitatibus indigent differentias efficientibus; neque enim per se inter se differunt qualitates." Princeps igitur qualitas e. g. hominis alias in se continet, ut artes, virtutes aliasque, quarum diversitate singuli homi-

nes inter se diversi sunt, ex ipsa enim hominis notione non differunt. Qualitates vero in homine comprehensae neque externis causis indigent, quae differentias adducant, neque per se diversae sunt, sed etsi variatae ex hominis notione profectae in ea conveniunt. Quae igitur in cunctis hominibus eadem sunt, notione sive idea hominis comprehenduntur, in aliis autem paullo aliter constituta proprietatis (*ἰδιότητος*) vi exprimuntur; quare, ut dixi, *ἰδίως* et *κοινῶς ποιὰ* inter se opponi atque illa ex his deduci possunt, quod Syrianus p. 21. e vers. Bagol. hoc modo expressit: *Καὶ οἱ Στωϊκοὶ δὲ τοὺς κοινοὺς ποιοὺς* *) *πρὸ τῶν ἰδίων ποιῶν ἀποτίθενται.* "Stoici quoque communia qualia ante propria qualia ponunt." Propria vero qualia, quae unius substrati proprietatem efficiunt, pro una etiam haberi possunt; ut enim idea est una, etsi ex multis singulis qualitatibus composita, ita quoque proprietas ei opposita ex iisdemque conflata; quod significat Chrysippus in fragmento apud Philonem obvio de mundi incorr. ed. Mangey. T. II. p. 501. *Δύο εἰδοποιοὶ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ὑποκειμένου οὐ δύνανται εἶναι.* "Duo proprii quales in eodem substrato esse non possunt." Idem si et illo loco et a Plutarcho de comm. notit. p. 1077. contrarium

---

*) Genus masculinum pro neutro saepius reperitur, quia homines plerumque exempli causa ita afferuntur, ut res exponenda ab exemplo vix discerni possit.

docuisse dicitur, non satis accurate intellectus est. Neque enim distinxisse videntur proprietatem unam a propriis qualibus, quae illam efficiant; etenim ut una idea uni opponitur proprietati, ita communia qualia plura contraria sunt propriis qualibus, iisque pluribus; Jupiter e. g. et divina Providentia per se proprii quales, cum mundi interitu in communem omnium essentiam redeunt, unam tantum proprietatem efficiunt.

Postquam quomodo qualitates definiantur, quibusque rationibus inter se diversis in disquisitionem vocatae sint, exposuimus, jam ad earum divisionem pervenimus, quam Simplicius f. 72. *Δ.* his verbis indicat: *Τρίτη δὲ αἵρεσις ἡ τῶν Στωϊκῶν· τῶν οὖν ἕξεων καὶ τῶν ποιῶν κατὰ τούτους τὰ μὲν οὔτε ἐπιτείνεται οὔτε ἀνίεται, τὰ δὲ ἀμφότερα ἐπιδέχεται.* "Tertia secta (in qualitatibus dividendis) Stoicorum est, habituum enim et qualium secundum hosce alia neque intenduntur neque remittuntur, alia utrumque excipiunt." Qualia, quae hic cum habitibus dividuntur, ea esse videntur, quae qualitatibus sunt paria, ut haec divisio non ad ea substrata pertineat, quae qualitatum sint expertia i. e. composita et ex distantibus constantia; a Simplicio enim alio loco ad solos habitus restringitur: habitus dico sensu latiore, ex quo non diversae sunt ab ipsis qualitatibus, arctiore enim sensu partem tantum earum efficiunt. Aristotelica enim qualium genera explicans f. 61. *B.* Simplicius

Ἄξιον δέ, inquit, *καὶ τὴν τῶν Στωϊκῶν συνήθειαν πάντων περὶ τὰ ὀνόματα ταῦτα καταμαθεῖν· δοκοῦσι γάρ οὗτοί τισιν ἀνάπαλιν τῷ Ἀριστοτέλει τὴν διάθεσιν τῆς ἕξεως μονιμωτέραν ἡγεῖσθαι· τὸ δὲ ἀφορμὴν μὲν ἔχει τῆς τοιαύτης ὑπονοίας, οὐ μέντοι κατὰ τὸ μονιμώτερον ἢ μὴ παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς ἡ τούτων εἴληπται διαφορά, ἀλλὰ κατ' ἄλλας διαθέσεις· καὶ γὰρ τὰς μὲν* ἕξεις *ἐπιτείνεσθαί φασι δύνασθαι καὶ ἀνίεσθαι· τὰς δὲ* διαθέσεις *ἀνεπιτάτους εἶναι καὶ ἀνέτους· διὸ καὶ τὴν εὐθύτητα τῆς ῥάβδου, κἂν εὐμετάβολος ᾖ, δυναμένη κάμπτεσθαι, διάθεσιν εἶναί φασι, μὴ γὰρ ἀνεθῆναι ἢ ἐπιταθῆναι τὴν εὐθύτητα, μηδὲ ἔχειν τὸ μᾶλλον ἢ ἧττον, διόπερ εἶναι διάθεσιν· οὑτωσὶ δὲ καὶ τὰς ἀρετὰς διαθέσεις εἶναι, οὐ κατὰ τὸ μόνιμον ἰδίωμα, ἀλλὰ κατὰ τὸ ἀνεπίτατον καὶ ἀνεπίδεκτον τοῦ μᾶλλον· τὰς δὲ τέχνας ἤτοι δυσκινήτους οὔσας ἢ μὴ, μὴ* *) *εἶναι διαθέσεις· καὶ ἐοίκασι τὴν μὲν ἕξιν ἐν τῷ πλάτει τοῦ εἴδους θεωρεῖν, τὴν δὲ διάθεσιν ἐν τῷ τέλει τοῦ εἴδους καὶ ἐν τῷ μάλιστα, εἴτε κινοῖτο καὶ μεταβάλλοι, ὡς τὸ εὐθὺ τῆς ῥάβδου, εἴτε καὶ μή.* "Operae vero pretium est omnium Stoicorum in hisce vocabulis consuetudinem cognoscere. Sunt enim, quibus hi contra atque Aristoteles dispositionem diutius quam habitum permanentem posuisse videantur. Neque omnino fundamento caret huiusmodi opinio; quanquam non secundum diu-

*) Hoc *μὴ* textui, cum sensu flagitante, tum versione Toscareni (Ven. 1543.) assentiente, inserui.

turniorem permansionem eiusque defectum apud Stoicos differentia illa constituitur, sed secundum alias dispositiones; etenim habitus intendi posse dicunt et remitti; quare rectam baculi formam (rectitudinem), etsi ipse flexibilis sit, cum curvari possit, dispositionem esse contendunt, neque enim rectam formam remitti aut intendi posse neque majoris minorisve gradus capacem, ideoque esse dispositionem. Itaque etiam virtutes esse dispositiones non propter permanentem indolem iis propriam, sed quod neque intendi neque majorem gradum accipere possint; artes vero sive difficile moveantur sive non, non esse dispositiones. Habitum denique in continuitate (πλάτει) speciei agnoscere videntur, dispositionem vero in eius perfectione (τέλει), sive moveatur et mutetur, ut rectum in baculo, sive non." — Habitus hoc loco dispositionibus oppositos arctiore sensu esse accipiendos, quam qui habitis (ἑκτοῖς) supra oppositi omnes qualitates amplectuntur, jam monui. Habitus hoc arctiore sensu si ἐν τῷ πλάτει τοῦ εἴδους cerni dicuntur, dispositiones vero ἐν τῷ τέλει καὶ ἐν τῷ μάλιστα, haec dictio de temporis discrimine deprompta esse videtur; Chrysippus saltem apud Stobaeum (I. 9. 42. p. 260. cf. Sextum Empiricum. adv. Math. X. 184.) χρόνον ἐν πλάτει seu κατὰ πλάτος tempus continuum τῷ κατ' ἀπαρτισμόν, temporis momento, opponit. Neque loco tantum laudato habitus a dispositionibus ita distinguuntur, sed Stoicorum

etiam de virtutum et artium discrimine (quae semper pro exemplis afferuntur) disputatio f. 73. *B.*: λόγος appellatur *ἐν πάσαις ταῖς διαθέσεσι καὶ τὸ τέλειον κατὰ τὴν ἀκρότητα αὐτῶν θεωρῶν καὶ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον κατὰ τὴν ἐν πλάτει μέθεξιν.* Perfectum deinde (*τέλειον*), quod in summo fastigio (*κατὰ ἀκρότητα*) cernitur, virtutibus, major vero minorve gradus (*τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον*), in continuitatis communione (*κατὰ τὴν ἐν πλάτει μέθεξιν*) spectatus, artibus tribuitur. Virtus enim cum perfecta sit scientia (*ἐπιστήμη*), nec augeri nec minui potest, sed in quoque temporis momento fastigium (*τέλος καὶ τὸ μάλιστα*) nacta est; quae si exercetur vel aliquid agit, etiamsi nondum ad summum illud fastigium pervenerit, artem efficit, nunc vehementius intensam, nunc laxius remissam, ideoque temporis continuitate conspicuam. Jam intelligi potest, dispositiones et habitus discrepare quidem inter se, cohaerere tamen ita, ut disjungi non possint; etenim cum in eodem genere utrumque esse dicitur, ut eadem notio et dispositio et habitus esse possit, tum loco proxime allato e dispositionibus deducuntur habitus; quod iisdem exemplis illustratur a Stobaeo Ecl. Ethic. II. 7. p. 110. *Πάσας δὲ τὰς ἀρετάς, ὅσαι ἐπιστῆμαι εἰσὶ καὶ τέχναι, κοινά τε θεωρήματα ἔχειν καὶ τέλος τὸ αὐτό· διὸ καὶ ἀχωρίστους εἶναι.* Quo quidem loco virtutis vocabulo habitus et dispositiones continentur; disciplinae enim (*ἐπιστή-*

μαι), alias arctiore sensu virtutes appellatae, sunt dispositiones, quae hic cum artibus conjunctae virtutes, sensu latiore accipiendas, efficiunt. Neque omnes virtutes esse eiusmodi et vocabulum ὅσαι indicat et Simplicius testatur f. 72. Δ. [Οἱ Στωϊκοὶ] διελόμενοι χωρὶς τὰς ἀρετὰς ἀπὸ τῶν μέσων τεχνῶν, ταύτας οὔτε ἐπιτείνεσθαι λέγουσιν οὔτε ἀνίεσθαι· τὰς δὲ μέσας τέχνας καὶ ἐπίτασιν καὶ ἄνεσιν ἐπιδέχεσθαί φασιν. Artes igitur mediae i. e. a virtutibus sejunctae, nec malae nec bonae, virtutibus, quae non nisi dispositiones sunt, ut habitus meri, opponuntur. Quo pertinet etiam hic Stobaei locus Ecl. Ethic. II. 7. p. 98. Διαθέσεις μὲν τὰς ἀρετὰς πάσας, ἕξεις δὲ μόνον καὶ οὐ διαθέσεις τὰ ἐπιτηδεύματα καὶ τὴν μαντικὴν καὶ τὰ παραπλήσια; studia enim (ἐπιτηδεύματα) ad medias artes pertinere videntur. Aliae praeterea sunt dispositiones, quibus nulli respondeant habitus et vice versa, rectum enim in baculo mera est dispositio; formae contra et figurae atque lineae a Stoicis habitus putantur. De corporum enim formis Simpl. f. 69. Γ. Ἀλλ' οὐδέ, inquit, ἡ τῶν Στωϊκῶν δόξα λεγόντων, σώματα εἶναι τὰ σχήματα, ὥσπερ τὰ ἄλλα ποιά, συμφωνεῖ τῇ Ἀριστοτέλους δόξῃ· quod accuratius definitur f. 67. E. Τὸ τοίνυν σχῆμα οἱ Στωϊκοὶ τὴν τάσιν παρέχεσθαι λέγουσιν, ὥσπερ καὶ τὴν μεταξὺ τῶν σημείων διάστασιν· διὸ καὶ εὐθεῖαν ὁρίζονται γραμμὴν τὴν εἰς ἄκρον τεταμένην. "Stoici igitur figuram exhibere extensionem dicunt, sicut distantiam inter puncta;

quare etiam rectam lineam definiunt in extremum ductam." Distantia inter puncta non nisi linea esse videtur, quare *σχῆμα* et corpus et planitiem amplecti credendum est.

Artes denique et virtutes eo etiam differunt, quod illarum simplex est facultas, his naturalis antecedit progressus. Simpl. f. 62. *B. Καὶ γὰρ καὶ οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς πρὸς μὲν τὰς τέχνας ἐπιτηδειότητα μόνην ἀπέλιπον τὴν ἁπλῶς οὑτωσὶ θεωρουμένην, πρὸς δὲ τὰς ἀρετὰς τὴν ἀξιόλογον προκοπὴν ἐκ φύσεως προϋπάρχειν ἀπεφήναντο, ἣν καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ Περιπάτου φυσικὴν ἀρετὴν ἐκάλουν.* "Stoici enim artibus facultatem tantum relinquunt simpliciter spectatam, virtutibus vero antecedere progressum contendunt satis magnum, a natura comparatum, quem etiam Peripatetici vocant virtutem naturalem." Quae distinctio redit ad discrimen, quod supra exposui, sive utrasque sejunctas, sive conjunctas contempleris; modo caveas, ne facultatem et progressum novas putes qualitates ab ipsa arte et virtute diversas; progressus enim hic in arte versari videtur, quanquam hac ratione virtus, nulla praecedente arte, esse non potest, quod ad virtutes referendum est arctiore sensu acceptas.

Substratorum genera qualitatibus niti, quod saepius annotavi, ultimo est persequendum. Unita a compositis et iis, quae ex distantibus constant, eo diversa esse putantur, quod sola unita qualitatum capacia sunt, cetera qualia tantum, qualitatum


vel qualitatis unius totum continentis expertia. Attamen cum partes compositorum et e distantibus constantium sint ex unitis, unitorum genera a qualitatum diversitate orta ad illa quoque etsi alia ratione pertineant necesse est. Qualitates sunt aut habitus aut dispositiones, quare unita a diverso habitu contineri et diversam dispositionem exhibere possunt. Jam si unita aut *simplici* habitu aut natura aut animo uti dicuntur, natura et animus etiam habitus sunt, ut generum discrimen sit habituum gradatio, quae ipsorum substratorum gradationem supra expositam efficiat. Simplex *habitus* secundum ea, quae modo disputavi, potentia est, quae res natura unas connectens atque continens et remitti et intendi potest, neque quidquam aliud nisi certa entis forma, cuiusmodi est in lignis, lapidibus aliisque eius generis. *Natura,* quam dixi versari in plantis, earumque seminibus et fructibus, potentia est eiusmodi major, quam Diog. Laërt. definit (VII. 148.) hoc modo: *Ἔστι δὲ φύσις ἕξις ἐξ αὑτῆς κινουμένη, κατὰ σπερματικοὺς λόγους ἀποτελοῦσά τε καὶ συνέχουσα τὰ ἐξ αὑτῆς ἐν ὡρισμένοις χρόνοις καὶ τοιαῦτα δρῶσα, ἀφ᾽ οἵων ἀπεκρίθη.* "Natura est habitus ex semet ipso motus, secundum rationes seminales perficiens et continens, quae ex ipso prodeunt certis temporibus, atque efficiens talia, a qualibus generatus est." Jam ad animum pervenimus, qui a Chrysippo definitur: *πνεῦμα ἡμῖν συνεχὲς παντὶ τῷ σώματι*

διῆκον (Galen. de Plat. et Hippocr. dogm. ed. Bas. I. 264. ed. Kühn V. 287.). Spiritum vero (*πνεῦμα*) cum qualitatem esse supra ostendi, tum habitum docet Plutarchus de Stoic. repugn. c. 43. fragmento e Chrysippi libris *περὶ ἕξεων* deprompto. Etsi non exstat justa animi definitio, jam satis, opinor, apparet animum esse habitum ipsa natura potentiorem, qui rursus diversos admittat gradus animalium, hominum, Deorum. Quam gradationem in substratis conspicuam hic repetendam et Ciceronis loco illustrandam esse duxi, cui praemonenda sunt haec: Inferior quisque gradus latius patens superiores comprehendit notionis extensione, quam dicunt, ut simplices habitus tribuantur non lapidibus tantum, sed plantis etiam et animalibus et hominibus et Diis; naturae ceteris praeter lapides, animi animalibus tantum et hominibus et Diis, rationalis animus hominibus et Diis, perfectus denique animus solis Diis; ex intensione vero notionum superior quisque gradus inferiores amplectitur. Itaque Cicero recte, primo genere habituum simplicium omisso, ceteris tribuit naturam (de Nat. Deor. II. 12. 33.). "Atque etiam si a primis inchoatisque *naturis* ad ultimas perfectasque volumus procedere, ad Deorum naturam perveniamus necesse est. Primo enim animadvertimus, a natura sustineri ea, quae gignuntur e terra, quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo et augendo tueretur. Bestiis autem

sensum et motum dedit et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum: homini hoc amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur tum continerentur. Quartus autem gradus et altissimus est eorum, qui natura boni sapientesque gignuntur, quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quae supra hominem putanda est, Deoque tribuenda, id est mundo; in quo necesse est perfectam illam atque absolutam inesse rationem." Cui loco conferendus est alius eiusdem libri c. 9. §. 24. ubi a primo gradu profectus omnibus impertit habitum ignis vi expressum, atque Diogenis locus VII. 139. ubi nominatim Deo tribuitur habitus (ἕξις). Quem habitum sive sensu arctiore dispositioni oppositum sive latiore sensu eam amplectentem accipias, sua cuique habituum generi est perfectio seu dispositio, ut eadem sit dispositionum et habituum divisio.

Incorporales qualitates, quae hic tractandae erant, cum supra earum necessario mentio sit facta, hoc loco omitto. Jam perspicuitatis causa qualitatum rationes et genera in tabulae formam redigo, hoc solum addens, mihi non extra omnem dubitationem positum videri, quin omnia, quae hoc loco disputata sint, aut in universum ad logicen pertineant, aut si hoc concedatur, huius sint partis; imo mihi persuasum est, de ideis et notionibus disputationem ad primam logices partem esse re-

ferendam, quam tamen, cum nondum satis extricata esset, praetermittere non potui.



CAPUT IV.

Aliquo modo se habens.

Qua ratione haec categoria a Stoicis constituta sit, neque aliunde constat, neque a Simplicio disertis verbis annotatur, quia non uni Aristotelis categoriae respondet, sed plures comprehendit. Verum enim vero, cum quae in ceteras tres cadant, notum sit, quae ad eas non pertinent, omnia in hanc tertiam congerenda sunt; congesta autem quomodo sint digerenda et disponenda, cum e ceterarum categoriarum similitudine, tum e pluribus locis inter se collatis conjectura est assequendum. Connexum *aliquo modo se habentium* cum substratis et qualibus Plotinus exponit Ennead. VI. I. c. 30. hisce verbis non admodum claris: *Ἐν μὲν οὖν τοῖς πὼς ἔχουσιν ἄτοπον μὲν ἴσως, τὰ πὼς ἔχοντα τρίτα τίθεσθαι ἢ ὁπωςοῦν τάξεως ἔχει, ἐπειδὴ περὶ τὴν ὕλην πὼς ἔχοντα πάντα· ἀλλὰ διαφορὰν τῶν πὼς ἐχόντων φήσουσιν εἶναι καὶ ἄλλως πως ἔχειν τὴν ὕλην ὡδὶ καὶ οὕτως, ἄλλως δὲ ἐν τοῖς πὼς ἔχουσι καὶ ἔτι τὰ μὲν ποιὰ περὶ τὴν ὕλην πὼς ἔχοντα, τὰ ἰδίως δέ πως ἔχοντα περὶ τὰ ποιά· ἀλλὰ τῶν ποιῶν αὐτῶν οὐδὲν ἢ ὕλης πως ἐχούσης ὄντων, πάλιν τὰ πὼς ἔχοντα ἐπὶ τὴν ὕλην ἀνατρέχει καὶ περὶ τὴν ὕλην ἔσται.* "In iis, quae aliquo modo se habent, fortasse absurdum est, aliquo modo se habentia tertium vel quemvis locum tenere; etenim circa materiam omnia aliquo modo se habent. At dicent,

differentiam esse eorum, quae aliquo modo se habent, atque aliter aliquo modo se habere materiam sic vel ita, aliter in ipsis aliquo modo se habentibus; qualia quidem circa materiam aliquo modo se habentia esse, proprie vero aliquo modo se habentia circa qualia; attamen cum qualia nil aliud, nisi materia aliquo modo se habens sit, rursus etiam proprie aliquo modo se habentia ad materiam referuntur atque circa materiam erunt." Omnia et ipsa substrata aliquo modo se habere recte dicuntur, substratis enim cetera nituntur, sua tamen quaeque ratione; substrata enim si aliquo modo se habent, qualia sunt, qualia rursus cum semper alio modo se habeant propter motum iis insitum efficiunt proprie aliquo modo se habentia, quae eo etiam a qualibus differunt, quod in substratis esse recte dicuntur, cum qualia sint ipsa substrata vel eorum partes; cui discrimini jam bis exposito lucem affundit hic Simplicii locus, ubi, qua ratione proprie aliquo modo se habentia ad substratum pertineant, exponitur (f. 44. *E.*) *Ὁ δὲ τὴν στάσιν καὶ τὴν κάθισιν μὴ προςποιούμενος [τοῖς οὖσιν] ἔοικε Στωϊκῇ τινι συνηθείᾳ συνέπεσθαι, οὐδὲν ἄλλο ἢ τὸ ὑποκείμενον εἶναι νομίζων, τὰς δὲ περὶ αὐτὸ διαφορὰς ἀνυποστάτους ἡγούμενος καὶ πὼς ἔχοντα αὐτὰ ἀποκαλῶν, ὡς ἐν τοῖς ὑποκειμένοις ἔχοντα αὐτὸ τοῦτο τὸ πὼς ἔχειν· εἰ γάρ ἐστι στάσις ἓν γένος τῶν ὄντων, ἔστι δὲ ἡ ἑτέρου ἐν ἑτέρῳ ἵδρυσις ἔχοντα ἰδίας ὑποστάσεις, ἔσται καὶ ἡ στάσις ἑτέρα τοῦ*

ἑστηκότος καὶ ἡ κάθισις ἑτέρα τοῦ καθημένου καὶ πρότερα τὰ μετεχόμενα τῶν μετεχόντων καὶ τὰ καθ' ἑαυτὰ τῶν ἐν ἄλλοις [ὕστερα] *). — "Qui vero stationem et sessionem iis, quae sunt, non annumerat, Stoicorum consuetudine uti videtur, nil aliud nisi substratum *esse* putans, eius vero differentias non subsistere credens, easque aliquo modo se habentia appellans; quippe quae in substratis habeant ipsum hoc aliquo modo se habere. Etenim si statio unum genus est eorum, quae sunt, et alius rei in alia collocatio eorum est, quae suam habent subsistentiam, etiam statio alia est atque id, quod stat, sessioque alia atque id, quod sedet, ea denique, quorum quid particeps est, priora, quam id, quod eorum particeps, atque quae per se sunt ceteris posteriora." Differentias, quae hic memorantur et aliquo modo habentia appellantur, non qualia etiam amplecti, sed proprie esse aliquo modo se habentia, cum exempla docent, in primo jam dissertationis capite tertiae Stoicorum categoriae vindicata, tum discrimen inter ea, quae in substratis sunt atque quae constituunt substratorum partes obtinens affirmat.

Eadem aliquo modo se habentium exempla iisque similia alio Simplicii loco affectionis (σχέσεως) notione comprehenduntur, quae partem illo-

---

*) Sensu flagitante addidi ὕστερα, quod in libris non legitur neque a versione agnoscitur.

rum amplexa sit necesse est. Simplicius enim, (f. 61. *B.*) habitus et dispositionis discrimine exposito, ab utroque harum notionum distinguendam esse affectionem demonstraturus orationem hoc modo continuat: *Μᾶλλον δὲ ἔχρην ἐκεῖνο ἐπιστῆσαι, μὴ ἡ παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς σχέσις ἡ αὐτή ἐστι τῇ παρὰ Ἀριστοτέλει διαθέσει κατὰ τὸ εὐανάλυτον καὶ δυςανάλυτον διϊσταμένη πρὸς τὴν ἕξιν· ἀλλ᾽ οὐδὲ οὕτως συμφωνοῦσιν· ὁ μὲν γὰρ Ἀριστοτέλης τὴν ἀβέβαιον ὑγείαν διάθεσιν εἶναί φησιν· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Στοᾶς τὴν ὑγείαν, ὅπως ἂν ἔχῃ, οὐ συγχωροῦσι σχέσιν εἶναι· φέρειν γὰρ τὸ τῆς ἕξεως ἰδίωμα· τὰς μὲν γὰρ σχέσεις ταῖς ἐπικτήτοις καταστάσεσι χαρακτηρίζεσθαι· τὰς δὲ ἕξεις ταῖς ἐξ ἑαυτῶν ἐνεργείαις· ὅθεν οὐδὲ χρόνου μήκει ἢ ἰσχύϊ εἰδοποιοῦνται αἱ ἕξεις κατ᾽ αὐτοὺς ἰδιότητι δέ τινι καὶ χαρακτῆρι καὶ ὥςπερ τὰ ἐῤῥιζωμένα μᾶλλον καὶ ἧττον ἐῤῥίζωται, ἓν δὲ ἔχει τὸ κοινὸν ἰδίωμα τὸ ἀντέχεσθαι τῆς γῆς, οὕτω καὶ ἡ ἕξις ἐπὶ τῶν δυσκινήτων καὶ εὐκινήτων ἡ αὐτὴ θεωρεῖται· ὅλως γὰρ τῷ γένει πολλὰ ποιὰ ὄντα ἐκλελυμένον ἐκεῖνο τὸ ἰδίωμα ἔχει, καθ᾽ ὃ εἰδοποιεῖται, ὡς ὁ αὐστηρὸς οἶνος καὶ ἀμύγδαλα πικρὰ καὶ Μολοττικὸς κύων καὶ Μελιταῖος, οἷς πᾶσι μέτεστι μὲν ὁ γενικὸς χαρακτήρ, ἐπὶ βραχὺ δὲ καὶ ἀνειμένως καὶ ὅσον ἐπ᾽ αὐτοῖς τοῖς ἐν τῇ ἕξει λόγοις ἐπιμένει ἐπὶ μιᾶς καταστάσεως αὕτη, τὸ δὲ εὐκίνητον πολλάκις ἐξ ἄλλης αἰτίας ἔχει· διόπερ οἱ Στωϊκοὶ διατείνουσι τὰς ἕξεις κοινότερον καὶ ἐπὶ τὰς εὐκινήτους, ἃς λέγει ὁ Ἀριστοτέλης διαθέσεις, καὶ ταύτας ἡγοῦνται πολὺ διενηνοχέναι τῆς σχέσεως· ἡ*

γὰρ τοῦ ἀναλαμβάνοντος τὴν ὑγίειαν ἕξις καθίσεως καὶ προβολῆς καὶ τῶν τοιούτων σχέσεων πάντῃ διέστηκεν· αἱ μὲν γὰρ ἄῤῥιζοι καὶ ἀπαγεῖς εἰσι· τὰς δὲ οὕτως ὑφεστηκέναι φασίν, ὥςτε ἀφεθείσας διαμένειν, ὅσον ἐφ᾽ ἑαυταῖς δύνασθαι τὸ ἔμμονον ἐξ ἑαυτῶν καὶ τοῦ οἰκείου λόγου παρεχομένας· διὰ ταῦτα οὐδὲ ἡ ὁπωςοῦν δυςανάλυτος σχέσις λέγεται ἕξις παρ᾽ αὐτοῖς, εἰ γὰρ ἔξωθεν ἔχει τὸ δυςανάλυτον, ὥςπερ ὁ δακτύλιος ἐν δακτυλήθρᾳ ὤν, οὐκ ἂν εἴη ἐν ἕξει τῆς τοιαύτης καταστάσεως, ἀλλ᾽ εἰ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ τὴν ἐνέργειαν παρέχοιτο τοῦ εἶναι τοιόνδε, τότε ἂν εἴη ἐν ἕξει, ὥςπερ ὁ πηλὸς εἰς ὄστρακον μεταβαλών· αὐτὸς γὰρ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ τοιόςδε γέγονεν· ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὕτως ἱστορείσθω. "Magis etiam animadvertendum est, affectionem apud Stoicos non eandem esse atque Aristotelis dispositionem, quippe quae cum facilior motu sit, differat ab habitu difficiliore ad movendum; neque enim ita conveniunt, nam Aristoteles incertam sanitatem dispositionem esse contendit, Stoici autem sanitatem, quocunque modo se habeat, affectionem esse non concedunt, habere enim indolem habitus; affectiones enim conditionibus agnosci extrinsecus paratis, habitus vero suis ipsorum actionibus; quare neque temporis diuturnitate neque vi externa speciem suam constituunt, sed propria quadam indole atque signo peculiari atque, sicut radicibus fixa magis minusve fixa sunt, unam tamen hanc communem indolem habent sibi propriam, quod terrae adhaerent, ita habitus quoque

in iis, quae difficile atque in iis, quae facile moventur idem cernitur; multa enim, quae in genere qualia sunt, indolem illam propriam omnino dissolutam et remissam (ἐκλελυμένον) habent, ex qua speciem suam constituant, ut vinum acre, amygdala amara, canis Molossicus et Melitaeus, in quibus omnibus inest quidem signum generi proprium, sed parum tantum et remisse. Quod attinet ad rationes, quae habitui insunt, hic in eadem conditione remanet, mutationis vero facultatem saepe ex alia causa excipit [i. e. habitus seu qualitas, quae semper eadem manet, multas easque diversas affectiones excipere potest]. Quae cum ita sint, Stoici habitus notionem latius etiam ad dispositiones, quas Aristoteles nuncupat, facile mobiles, extendunt, illosque valde ab affectione diversos esse putant; habitus enim eius, qui valetudinem recipit, a sessione et pugnantis statu aliisque eiusmodi affectionibus omnino differt, hae enim radice et vinculo carent, illos vero ita subsistere contendunt, ut, quod ipsos attinet, etiam demissi per se subsistere possint, permansionem ex semet ipsis et ratione sua propria sibi suppeditantes. Itaque non quaecunque affectio motu difficilior apud eos vocatur habitus, etenim si extrinsecus habet motum difficiliorem, sicut annulus, qui in digitali est, non in habitu sit talis conditionis, sed si per se habeat actionem seu vim, ex qua talis sit, tum sit in habitu, ut lutum secundum vim ipsi insi-

tum in fictile vertitur, ipsum enim per se hanc formam induit. Haec hactenus." Affectioni ita satis a qualitate distinctae et aliquo modo se habentibus vindicatae saepius opponitur motio, quam cum illa in eadem categoria fuisse, ob hanc ipsam oppositionem dubitare nequimus. Simplicius varias vocis ἑκτὸν significationes enumerans f. 54. *Γ.* *καὶ ἡ μὲν ἀρχή*, inquit, *τοῦ ὀνόματος τοῦ ἑκτοῦ ἀπὸ τῶν ἕξεων προήχθη, ὕστερον δὲ ἐπιδιέτεινε τοὔνομα καὶ ἐπὶ τὰς σχέσεις, οἷον προβολήν, κάθισιν, ἐπί τε τὰς κινήσεις, οἷα ἐστὶν ἡ περιπάτησις, ἐπί τε τὰς συνθέτους ἐκ κινήσεων καὶ σχέσεων καταστάσεις, οἷα ἡ ὄρχησις εἴη*. (Cf. Anton. XI. 2.). Quo in loco divisionem aliquo modo se habentium ex parte saltem reperisse mihi videor, ut aut affectiones sint aut motiones aut conditiones ex utrisque compositae. Affectiones cum satis accurate a qualitatibus distinctae et definitae sint, restat, ut motiones etiam accuratius definiantur. Simplicius idem, ut habitibus affectiones, ita f. 55. *A.* habitis motiones hoc modo opponit: *Οἱ δὲ Στωϊκοὶ τὰ μὲν ἑκτὰ περὶ ἡμᾶς, τὰ δὲ ἐνεργήματα καὶ τὰ ποιήματα ἐκτὸς* [*ἀπολείπουσιν*]. "Stoici habita quidem seu qualitates in nobis, actiones vero et effectus extra nos relinquunt." Motiones igitur non minus quam affectiones extra substratum ideoque externae i. e. nil nisi mutationes sunt in substratis eorumque qualitatibus conspicuae, earundem vero alterae ab alteris ad similitudinem habitus et dispositionis

differre videntur, sessio enim e. g. ut exsistat, motione antecedente indiget, ut virtus arte.

Si jam divisionem persequimur eorum, quae aliquo modo se habent, multa se praebent genera, quorum connexus quaerendus est. In summis generibus Aristotelis et Stoicorum inter se comparandis vidimus, ad Stoicorum aliquo modo se habentia pertinere Aristotelis quando (*ποτέ*), ubi (*πού*), situm esse (*κεῖσθαι*), atque habere (*ἔχειν*); ibidem suspicati sumus, huc referenda esse efficere (*ποιεῖν*) et pati (*πασχεῖν*), quod affirmatur Plotini loco jam fusius interpretando: *Πῶς δὲ ἓν* *) *τὸ πὼς ἔχον, πολλῆς διαφορᾶς ἐν αὐτοῖς οὔσης; πῶς γὰρ τὸ τρίπηχυ καὶ τὸ λευκὸν εἰς ἕν, τοῦ μὲν ποσοῦ τοῦ δὲ ποιοῦ ὄντος; πῶς δὴ τὸ ποτὲ καὶ τὸ πού; πῶς δὲ ὅλως πὼς ἔχοντα τὸ χθὲς καὶ τὸ πέρυσι καὶ τὸ ἐν Λυκείῳ καὶ Ἀκαδημίᾳ; καὶ ὅλως πῶς δὲ ὁ χρόνος πὼς ἔχων; οὔτε γὰρ αὐτὸς οὔτε τὰ ἐν αὐτῷ τῷ χρόνῳ οὔτε τὰ ἐν τῷ τόπῳ οὔτε ὁ τόπος· τὸ δὲ ποιεῖν πῶς* **) *πὼς ἔχον, ἐπεὶ οὐδ᾽ ὁ ποιῶν πὼς ἔχων, ἀλλὰ μᾶλλον πὼς ποιῶν, ἢ ὅλως οὐκ ὄν, ἀλλὰ ποιῶν* ***) *μόνον; καὶ ὁ πάσχων οὐ πὼς ἔχων, ἀλλὰ μᾶλλον πὼς πάσχων ἢ ὅλως πάσχων οὕτως· ἴσως δ᾽ ἂν μόνον ἀρ-*

---

*) Textus exhibet *ἐν*, quod in *ἓν* mutavi.

**) Alterum *πως* Marsilius Ficinus addidit; etenim aut hoc cum signo interrogationis, aut *οὐ* addendum erat.

***) Mutavi *ποιὸν* in *ποιῶν* ex similitudine sequentium, sensu flagitante.

μόσει ἐπὶ τοῦ κεῖσθαι τὸ πὼς ἔχον *) *καὶ ἐπὶ τοῦ ἔχειν· ἐπὶ δὲ τοῦ ἔχειν οὐ πὼς ἔχον* *), *ἀλλὰ ἔχον* *). "Qua vero ratione aliquo modo se habens unum est, cum multae ei insint differentiae? Qua ratione ad unum redigitur bicubitale et album, cum illud sit quantum, hoc quale? qua ratione quando et ubi? qua ratione omnino aliquo modo habentia sunt *heri* et *prius* atque *in Lyceo* et *in Academia*? atque omnino qua ratione *tempus* aliquo modo se habet? neque **) enim ipsum, neque quae in ipso tempore sunt, neque quae in loco sunt, neque locus aliquo modo se habentia sunt; *efficere* qua ratione aliquo modo se habet, cum neque efficiens aliquo modo se habens sit, sed potius aliquo modo efficiens, vel omnino non ens, sed efficiens tantum? atque patiens non aliquo modo se habens, sed potius aliquo modo patiens vel omnino patiens sic. Fortasse aliquo modo se habere non nisi *ad situm esse* et ad *habere* quadrat, ad *habere* autem non aliquo modo se habens, sed habens solum quadrat." Etiamsi pro contorto scribendi genere locus hic difficillimus est interpretatu, neque ubique fortasse in pristinam formam restitutus, haec tamen certa ratione ex eo colligi possunt: quan-

*) His locis codd. exhibent *ἔχων*, quod a Marsilio Ficino mutatum est in *ἔχον*.

**) Hoc e Stoicornm mente disputatum esse videtur, quos sibimet ipsos repugnare putat.

tum, quale, quando, ubi, efficere, pati, habere et situm esse e Stoicorum sententia genera fuerunt eorum, quae aliquo modo se habentia vocantur, quorum bina accuratius cohaerent communi, opinor, notione superposita, id quod in affectionis et motionis nexu vidimus; praeterea ipsum tempus et locus aliquo modo se habentibus e Stoicorum sententia non magis annumerantur, quam quae in tempore et loco sunt i. e. substrata et qualia; de tempore et loco quae ex hisce colligi possunt cum de substratis et qualibus incorporalibus disputantes exposuerimus, ad singulas notiones transeamus, quarum ultimae primo sunt in disquisitionem vocandae ad motionem pertinentes, quam affectioni opponi vidimus.

Motionis enim divisionem fusius tractat Simplicius f. 78. *B. Πλωτῖνος καὶ οἱ ἄλλοι, οἱ ἀπὸ τῆς τῶν Στωϊκῶν συνηθείας εἰς τὴν Ἀριστοτέλους αἵρεσιν μεταφέροντες, τὸ κοῖνον τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν εἶναι τὰς κινήσεις, οὗτοι συγχέουσιν εἰς ταὐτὸ κίνησίν τε καὶ ἐνέργειαν καὶ τὴν ποίησιν οὐ τηροῦσι καθαράν, ἀπαλλαγμένην τοῦ πάθους, εἴπερ μετὰ κινήσεως αὐτὴν ὁρῶσι. Καὶ ἔτι μέντοι τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως οὐ τηροῦσιν ἀκίνητον, ὡς Ἀριστοτέλει δοκεῖ. Καὶ γὰρ ὅταν οἱ Στωϊκοὶ διαφορὰς γενῶν λέγουσι· τὸ ἐξ ἑαυτοῦ κινεῖν* *), *ὡς ἡ μάχαιρα τὸ τέμνειν ἐκ τῆς*

*) Libri exhibent *αὐτῶν κινεῖσθαι*, quod, nisi est lacuna, locum tenere non potest; neque enim exemplum passivam formam admittit, neque cetera genera similia.

οἰκείας ἔχει κατασκευῆς, κατὰ γὰρ τὸ σχῆμα καὶ εἶδος ἡ ποίησις ἐπιτελεῖται· τὸ δὲ δι' ἑαυτοῦ ἐνεργεῖν τὴν κίνησιν, ὡς αἱ φύσεις καὶ ἰατρικαὶ δυνάμεις τὴν ποίησιν ἀπεργάζονται· καταβληθὲν γὰρ τὸ σπέρμα ἀναπληροῖ τοὺς οἰκείους λόγους καὶ ἐπισπᾶται τὴν παρακειμένην ὕλην καὶ διαμορφοῖ τοὺς ἐν αὐτῷ λόγους· ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ἀφ' ἑαυτοῦ ποιεῖν, ὅ ἐστι κοινῶς μὲν ἀπὸ ἰδίας ὁρμῆς ποιεῖν, ἕτερον δὲ ἀπὸ λογικῆς ὁρμῆς, ὃ καὶ πράττειν *) καλεῖται· τούτου δὲ ἔτι εἰδικώτερον τὸ κατ' ἀρετὴν ἐνεργεῖν· ὅταν οὖν ταῦτα διαιρῶνται, τοὐναντίον ἁμάρτημα ποιοῦσιν ἢ ὅπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν· πάντα γὰρ ταῦτα ὑφ' ἓν ὀφείλοντα γένος τετάχθαι, διότι ἐν τῷ ποιεῖν πάντα, οὐ καλῶς εἰς πολλὰ γένη διακρίνουσι, διότι πολλαί εἰσιν αἱ ἀρχαί, ἀφ' ὧν αἱ ποιήσεις γίνονται. Καὶ ὁ τῆς ἐνεργείας δὲ ὅρος συγκεχυμένος ἐστὶ παρ' αὐτοῖς· διὰ τῆς ἐνεργείας γὰρ αὐτὸν ἀποδιδόασι. Καὶ ὅταν δὲ τὸ ποιεῖν καὶ πάσχειν γένος ποιῶσι, τοῦτο μὲν καλῶς λέγουσιν· ὅταν δὲ τὸ κινεῖσθαι περιέχειν τὸ κινεῖν διατάττωνται, μάχονται πρὸς ἑαυτοὺς καὶ γένος τὸ κινεῖσθαι τοῦ κινεῖν ποιοῦντες, διότι περιέχει αὐτό, καὶ οὐ γένος, διότι πρὸς αὐτὸ ἀντιδιαιρεῖται, εἴπερ τὸ μὲν ποιεῖν ἐστι, τὸ δὲ πάσχειν. Καὶ τῆς κινήσεως, φησὶν Ἰάμβλιχος, οὐ καλῶς οἱ Στωϊκοὶ ἀντιλαμβάνονται λέγοντες τὸ ἀτελὲς ἐπὶ τῆς κινήσεως εἰρῆσθαι· οὐχ ὅτι οὐκ ἔστιν ἐνέργεια, ἔστι γὰρ πάντως φασὶν

---

*) Ita ex Stoico loquendi usu rescripsi pro πλάττειν, cf. Stobaei Ecl. II. 7. p. 162.

ἐνέργεια, ἀλλ' ἔχει τὸ πάλιν καὶ πάλιν, οὐχ ἵνα ἀφίκηται εἰς ἐνέργειαν· ἔστι γὰρ ἤδη, ἀλλ' ἵνα ἐργάσηταί που ἕτερον, ὅ ἐστι μετ' αὐτήν. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ Στωϊκοὶ λέγουσιν. "Plotinus ceterique, qui e Stoicorum placitis in Aristotelis sectam transferunt, efficiendi et patiendi commune esse motionem, idem esse putant motionem atque actionem neque effectionem servant integram, passione liberam, siquidem cum motione eam contemplantur. Neque vero principium motionis ad Aristotelis sententiam immotum servant. Etenim cum Stoici generum differentias dicunt: *ex se movere*, ex quo genere gladius possidet secandi facultatem e propria indole, secundum formam enim et speciem effectio perficitur; *per se motionem efficere posse*, ut naturae et vires medicae effectionem adducunt; semen enim sparsum rationes suas exponit, dilatat materiam sibi adjectam rationesque insitas effingit; *a se denique efficere*, quod in universum quidem est a proprio appetitu efficere, aliter a rationali appetitu, quod etiam agere vocatur, quo arctius est secundum virtutem agere; cum haec igitur ita dividunt, contrarium vitium committunt atque antea; omnia enim haec, quae ad unum genus (efficiendi scilicet) pertinere debent, male in multa genera secernunt, quia multa sunt principia, e quibus effectiones proficiscuntur. Actionis vero definitio confusa est apud Stoicos, ipsa enim actione eam reddunt. Cum efficere et pati ponunt genera, hoc quidem

recte faciunt, cum vero *moveri* putant continere etiam *movere*, sibimet ipsis repugnant, simul et genus facientes moveri τοῦ movere, quia amplectatur hoc, et non genus, quia dividendo hoc illi (τὸ movere τῷ moveri) opponant, siquidem alterum (movere) sit efficere, alterum (moveri) pati. Praeterea Jamblichus Stoicos male de motione disserere contendit, imperfectam praedicantes motionem, non, quia non sit actio, esse enim omnino actionem dicunt, sed quia repetitionem (τὸ πάλιν καὶ πάλιν) contineat, non ut perveniat ad actionem, quam adesse volunt, sed ut perficiat aliquid, quod post ipsam sit. Haec docent Stoici." Motionis igitur (seu τοῦ moveri) species sunt movere seu efficere, et moveri seu pati; quam divisionem Simplicius vituperat, quod moveri (κινεῖσθαι) et genus et species sit, quamquam prius moveri, quod genus est, mediative, ut ita dicam, pro se movere vel indefinite, ut nec activum nec passivum sit, acceptum esse potest. Efficiendi tria sunt genera: ἐξ ἑαυτοῦ κινεῖν, δι᾽ ἑαυτοῦ ἐνεργεῖν τὴν κίνησιν et ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ποιεῖν, quae ad verbum reddidi: ex se movere, per se motionem efficere posse et a se efficere; quae genera exemplis satis illustrantur; ex se enim movere nihil aliud est, nisi ita constitutum esse, ut externa vi adhibita aliquid efficiatur; per se motionem efficere posse eam indicat vim, quae sibi aptam et naturalem conditionem nacta

aliquid efficiat; a se denique efficere iis rebus vindicatur, quae sponte ad naturam suam aliquid efficiunt, nulla vi externa neque occasione indigentes. Omnis tamen motio imperfecta esse dicitur, quod si Jamblichus reprehendit, quia efficere possit motio, ut aliquid fiat, non intellexisse videtur Stoicorum sententiam, ex qua si post motionem aliud appareat, non jam simplex est, sed ad aliquid relata, quippe quae in quartam cadat categoriam, hic enim quasi initia tantum motionum vel motiones per se spectantur. Ad effectionis similitudinem etiam passionis tria genera a Stoicis constituta sint necesse est, quorum Simplicius mentionem non facit, siquidem integer exstat locus, quod vix est credibile, vocabula enim *τὸ ἐξ αὐτῶν κινεῖσθαι,* quae, ut locus nunc se habet, sensu flagitante, mutavi in *τὸ ἐξ ἑαυτοῦ κινεῖν,* recte se habere possunt, si passionis genera non minus quam effectionis enumerata, ex illis vero initium esse captum statuimus, quod quidem etsi pro certo affirmari non potest, veri tamen non est dissimile. Passionis enim genera constituenda erant effectionis generibus respondentia haec: *ἐξ ἑαυτοῦ κινεῖσθαι, δι' ἑαυτοῦ προςδέχεσθαι τὴν κίνησιν* et *ἀφ' ἑαυτοῦ πάσχειν;* etenim si culter secat, lignum e. g. secundum naturam suam secatur, si semen motionem efficere potest, materia ei adjecta per se excipit hanc motionem, si denique ratio humana

aliquid appetens a se efficit, id, quod appetitur, a se pati videtur, appetenti sponte cedens *).

Haec motionis cum effectionis tum passionis genera aperte ex habituum generibus originem ducunt, ut simul ad substrata referri possint. Exempla enim et definitiones docent, quae simplici habitu utantur, ea ex se movere et moveri dici, quae vero natura (φύσει) gaudeant, ea per se motionem et efficere et excipere posse, quae denique animo donata sint, ea a se efficere et pati; hoc vero a se movere et pati et ipsum esse diversum ex animorum diversitate.

Motioni et apud Plotinum l. l. et pluribus in locis aliorum scriptorum opponitur affectio; de qua quae disputata sunt, si in brevius contrahuntur, affectio est conditio, quae non in ipsa re causam et radicem habet, sed qualitatum ope extrinsecus comparatur sive difficilior mutatu, ut annuli in digitali, seu facilior, ut sessio. Huiusce sessionis exemplo cum apud Aristotelem *situm esse* illustretur eademque notio a Simplicio Stoicorum aliquo modo se habentibus annumeretur, eodem exemplo addito, ab his *situm esse* ad affectionem redactum esse dubitare nequimus. Si jam *situm esse* (κεῖσθαι) affectionis est, eiusdem sit oportet

*) Sententiam meam affirmat, quod ex his principiis de verborum generibus a Stoica disciplina constitutis apud Simpl. f. 79. *A.* disputatur.

huic oppositum *habere* (ἔχειν), cuius exemplum *sibi subligasse* (ὑποδεδέσθαι) apud utrosque obvium apud Stoicos ad eadem aliquo modo se habentia pertinere, supra e Simplicio annotavimus. Itaque sicut effectio et passio notionem motionis, eodem modo *habere* et *situm esse* affectionis ambitum explere videntur, quod alio etiam Simplicii loco affirmatur, ubi Boethi de hisce notionibus doctrinam cum Stoica conferens horum simul sententiam exponit (f. 94. *E.*): *Τῶν δὲ ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἀξιούντων εἰς τὸ πὼς ἔχειν ἀναφέρειν τὸ ἔχειν, ὁ Βοηθὸς ἐναντιοῦται, οὔτε εἰς τὸ πὼς ἔχον ἡγούμενος δεῖν, οὔτε εἰς τὰ πρός τι ἀνάγειν αὐτό, ἰδίαν δὲ εἶναι κατηγορίαν· εἶναι μὲν γὰρ σχετικὴν αὐτήν. Τριχῶς δὲ μάλιστα καὶ ὁμωνύμως τὴν σχέσιν λέγεσθαι· τὴν μὲν γὰρ εἶναι ἐν ἑαυτῷ καὶ καθ᾽ ἑαυτό, τὴν δὲ πρὸς ἕτερον, τὴν δὲ ἑτέρου πρὸς ἑαυτό· ἡ μὲν οὖν ἐν ἑαυτῷ θεωρεῖται κατὰ τὸν πὼς ἔχοντα, οἷον ὁ προβεβλημένος· σχέσις γάρ ἐστιν αὐτοῦ πρὸς ἑαυτόν· ἡ δὲ πρός ἕτερον ἡ τῶν λεγομένων πρός τι· ὁ γὰρ πατὴρ καὶ ὁ δεξιὸς κατὰ σχέσιν λέγεται οὐ τὴν αὐτοῦ τινος πρὸς ἑαυτόν, ἀλλὰ τὴν πρὸς ἕτερον· ἡ δὲ ἀφ᾽ ἑτέρου πρὸς ἑαυτό, οἷα ἡ τοῦ ὡπλισμένου καὶ ὑποδεδεμένου· ἔστι γὰρ ἄλλου σχέσις πρὸς αὐτόν, τῶν μὲν ὅπλων πρὸς τὸν ὡπλισμένον, τῶν δὲ ὑποδημάτων πρὸς τὸν ὑποδεδεμένον.* "Cum Stoici ad *aliquo modo se habere* referant *habere,* Boethus dissentit, qui neque ad aliquo modo se habens neque ad id, quod ad aliquid aliquo modo relatum sit, illud

pertinere arbitratur, sed propriam esse categoriam, ipsius enim esse affectionis. Tripliciter vero inprimis et aequivoce affectionis vocabulum dici; aliam enim esse rei affectionem ad semet ipsam per se relatae, aliam rei ad aliud, aliam denique alius rei ad ipsum, cuius est, relatae; prima igitur in semet ipsa cernitur secundum aliquo modo se habentem, ut qui pugnantis statum tenet; affectio enim est ipsius ad semet ipsum relati; secunda affectio ad aliud relata eorum est, quae ad aliquid relata dicuntur; pater enim et dexter secundum affectionem dicuntur ipsorum non ad se, sed ad aliud relatorum; tertia vero alius rei ad ipsum, cuius est, relatae, ut armati et eius, qui sibi soleas subligavit, est enim alius rei affectio ad ipsum relatae, armorum ad armatum, solearum ad eum, qui sibi eas subligavit." Primam Boethi affectionem esse Stoicorum *situm esse*, tertiam nil aliud, nisi *habere*, exempla satis aperte docent; secundam vero e Stoicorum sententia non huc pertinere, sed quartae esse categoriae diserte addit Boethus. Licet non eaedem fuerint Boethi atque Stoicorum definitiones, notiones tamen diversae fuisse non possunt. Num habendi rursus et eorum, quae sita sunt, genera posuerint subdivisa, nescimus, quanquam ad effectionis et passionis similitudinem cogitari possunt; exempla quidem plurima ad res pertinent animo donatas, sed cum, si ceterae ita afficiuntur, ut aut habeant aut habeantur vel sitae sint, conditio

earum non omnino eadem esse possit, hic quoque ex qualitatum discrimine differentias fuisse positas, colligendum est; sibi enim subligasse, armatum esse, ut sedere, stare, pugnantis statum tenere de animantibus tantum praedicari possunt, annuli contra in digitali conditio ad res simplici habitu gaudentes pertinet. Quo vero nomine singula genera sint usa, eruere non potui *).

Praeterea exempla cum affectionis tum motionis variis vocabulorum formis proferunt, quae etsi omnes aliquo modo se habentia significant, simul tamen significationem reddant diversam necesse est. Quemadmodum enim qualia adjectivis, qualitates substantivis exprimuntur, ita hic quoque aliquid interesse credo, num infinitivo aut substantivo, an participio aut adjectivo, an denique verbo finito aliquid indicetur; sedendi enim notio v. c. variatur et ipsa variis vocabulorum formis expressa; *κάθισις* et *καθῆσθαι* non idem est, ac *καθημένος* vel *καθῆται*. Si quis attenderit, eum fugere non poterit, in antecedentibus ab aliquo modo se habentibus (*πῶς ἔχουσι*) distinctum esse ipsum aliquo modo se habere (*πῶς ἔχειν*), quorum illa participiis, haec infinitivis expressa sunt; etenim aliquo modo se habentia in substratis cogitantur,

*) Huc tamen pertinet discrimen a Stoicis inter *μένειν*, *ἠρεμεῖν*, *ἡσυχάζειν*, *ἀκινητεῖν* et *ἀκινητίζειν* constitutum Simpl. f. 210. *B*.

aliquo modo se habere ab iis quasi abstractum est, utrumque vero nil nisi subsistentiam (ὕπαρξιν) seu notionis veritatem indicat i. e. ea vere de certis quibusdam substratis praedicari posse; quae si praedicantur, verbo finito expressa, exsistentiam (ὑφίστασιν) significant i. e. ea nunc vel aliquando ad veritatem de certis quibusdam substratis praedicari. Haec vocabulorum ὑπάρχειν et ὑφιστάναι vis exemplis in secunda libelli parte afferendis probatur.

Jam quaerendum esse videtur, quae notio affectioni et motioni sit communis; etenim quod utraque conditio (κατάστασις) esse dicitur, non sufficit, imo rursus quaeritur, cuiusmodi haec conditio sit, quae notio ei opposita et cum ea conjuncta expleat ambitum aliquo modo se habentium. Restant enim secundum Plotini locum quatuor genera, quorum bina generibus superpositis arctius sunt copulanda; quae genera superposita rursus uni subjiciantur oportet, quod conditioni illi opponatur et copuletur. Si unde affectionis et motionis discrimen deductum sit, accuratius inquirimus, ad genera iis subjecta respiciendum est; in quibus cum substrati corporalis i. e. essentiae et entis differentiam detegamus, (habere enim et efficere ex ente, situm esse et pati ex essentia repetendum esse videtur), in generibus superpositis constituendis i. e. in affectione et motione incorporalium differentiam versari meo jure suspicari

mihi videor, vix enim negari potest in affectione loci, in motione temporis rationem praevalere; cuncta denique haec genera eo convenire videntur, quod e diversis qualitatum generibus et ipsa diversa sunt. Eadem certe dividendi ratio in quatuor generibus, quae restant, obtinere non potest, imo fere contraria esse videtur. Quantum et quale sunt corporalia, ubi et quando incorporalia, corporalium igitur et incorporalium discrimen substratis et qualitatibus commune hic superiora genera efficit, illic priora et posteriora distinxit, ubi cum superiora ab incorporalium differentia oriantur, omnia sunt incorporalia. Genera inferiora rursus e substratorum et qualitatum differentiis deducta sunt, quantum enim ad substratum spectat, quale ad qualitatem; ubi et quando ad locum et tempus substratis et qualitatibus incorporalibus communia referenda esse videntur. Mirandum quidem est, quod, cum aliquo modo se habentia ceterum sint incorporalia, prima eorum genera corporalia esse dicuntur, sed ipsum aliquo modo se habere solum incorporale est, quae aliquo modo se habent corporalia, quare in quanto et quali non minus affectio, ex qua quid quantum et quale est, ab iis, quae quanta et qualia sunt, distinguenda est. Universa aliquo modo se habentium genera *secundum differentiam* esse dicuntur (Simpl. f. 55. B. *κατὰ διαφοράν*), id quod apud Aristotelem *κατὰ συμβεβηκὸς* dicitur, accidunt enim sub-

stratis et qualitatibus. Priora quatuor genera (quantum, quale, ubi et quando) a posterioribus eo discrepant, quod etsi moveri et mutari possunt, tamen aliquamdiu manent et a qualitatibus retinentur, quare sensu arctiore *κατὰ διαφορὰν* vocantur, puta *ἰσχόμενα.* Itaque, ut totam categoriam obiter adumbrem: quae aliquo modo se habent, aut differentiam indicant aut conditionem. Quae conditione aliqua utuntur, aut affecti sunt aliquo modo aut moventur; quae motionem habent, aut efficiunt aut patiuntur, quae affectionem, aut habent aut habentur vel sita sunt. Quae secundum differentiam sunt, spectantur aut corporis ratione habita aut incorporei, quae ex corporis differentia cernuntur, aut quanto aut quali differunt, quae ex incorporei differentia, aut alicubi sunt aut aliquando. At ex discrimine, quod constitui, priora jam singula in disquisitionem vocemus, quantum pro paucitate testimoniorum fieri potest. Pro ordine, quem secutus sum conversum, ut ratione et via progrederer, de tempore et loco seu incorporalibus prius est disserendum. Tempus, quod secundum Plotinum non ipsum huc pertinet, a Chrysippo apud Stobaeum Eclog. I. 9. 42. p. 260. definitur *κινήσεως διάστημα, καθ' ὅ ποτὲ λέγεται μέτρον τάχους τε καὶ βραδύτητος ἢ τὸ παρακολουθοῦν διάστημα τῇ τοῦ κόσμου κινήσει*: in quo tempore si *quando* versari dicitur, nihil aliud est, nisi certum temporis momentum e mensura, opinor, totius

definitum. Idem Chrysippus *locum* esse dicit (ibidem I. 19. p. 390.) *τὸ κατεχόμενον δι' ὅλου ὑπὸ ὄντος,* quare notionem *ubi* esse partem loci e ratione totius definitam colligo. Utriusque notionis subdivisio nos latet, praeterquam quod tempus est aut praeteritum aut praesens aut futurum. Quae partitio si huc pertinet, locus fortasse simili ratione in superiorem, medium et inferiorem divisus est*). Quando et ubi a qualibus incorporalibus in tempore et loco spectatis optime exemplis distingui potest, quae quidem ipse excogitavi. Planta si annua dicitur, hanc qualitatem e tempore ortam habet, si vero hoc illove die florem producit, quando cernitur, cum aliquo modo se habeat ad tempus. Eodem modo quod planta aut in terra tantum aut in aqua radices agit, qualitas est ad locum pertinens, si vero in hac illave regionis cuiusdam parte crescit, cum etiam alibi crescere possit, aliquo modo se in loco habet, et ad categoriam, quae *ubi* vocatur, significata est. Jam in disquisitionem vocandum est, qua ratione et inter se cohaereant et a ceteris distinguantur *quantum* et *quale;* quae notiones bicubitalis et albi exemplis illustrantur. In secunda categoria cum ea tantum qualia proferantur, quae qualitatibus paria

---

*) Subdivisionem temporis et loci fortasse omnibus categoriis, diversa tamen ratione, communem in rerum divisione fusius illustravi.

sint, qualia fluctuantia neque qualitatem efficientia, sed qnae casu ei admiscentur, huc referenda esse videntur, e. g. album in lacte et nive cum essentialem seu constitutivam efficiat partem, non quale tantum est, sed etiam qualitas, in panno autem et lana vel quavis re, quae non e propria indole habet albitudinem, quale quidem est, neque tamen qualitati respondens, sed quod *in substrato* tantum esse dicitur atque sine rei interitu abesse potest, a logicis nostris *quale inessentiale* vocatum. Cuiusmodi vero differentia in qualibus hic prolatis posita sit, in dubio relinquendum est. Exempla nigri et albi, amari et dulcis, calores et sapores huius esse loci ostendunt; alia vero non minus huc pertinere, exemplum ignis ostendit in gladio positi candente, quod nil nisi quale in substrato seu aliquo modo se habens est. Quantum (f. 16. *Δ.*) a Stoicis omnino quidem omissum esse dicitur, sed ut alia, opinor, in categoriarum *numero,* non in tota de iis disquisitione, quod vix fieri potuit. Itaque apud Simplicium l. l. *Καὶ δῆλον, ὅτι πλεῖστα παραλείπουσι, τό τε γὰρ ποσὸν ἄντικρυς καὶ τὰ ἐν χρόνῳ καὶ ἐν τόπῳ*, vocabulum *ἄντικρυς* non ad vocem *ποσὸν* solum, sed ad sequentia etiam referendum est; quod si conceditur, hoc quoque loco affirmatur *quantum* esse aliquo modo se habens, ut cetera genera quae omissa esse dicuntur, quamquam mirum est ceterorum addi exempla, quanti exemplum non addi, quod tamen excidere potuit.

Si postea additur: *ἔπειτα τὸ κοινὸν τοῦτο πὼς ἔχειν καὶ τῷ ὑποκειμένῳ ἁρμόσει καὶ τῷ ποσῷ μάλιστα,* huius loci sensus, quod ad substratum attinet, intelligi quidem potest, cum effectionis et passionis oppositio hic prolata respiciat ad eandem oppositionem in substratis obviam; cur vero aliquo modo se habere maxime ad quantum quadrare putetur, minus clarum est, nisi quod omnium minime stabile et constans putatum sit; id quod perspicitur ex iis, quae de rerum auctione et diminutione sunt disputata in substratis explicandis. Ad corporis porro volumen explendum opus est materia seu essentia et ente, quod contineat eam; quare quantum cum substrato et iis, quae huic accidunt, motiones dico, cognationem quandam habere visum esse potest. Praeterea si hoc loco quantitatis extensivae et intensivae, quam dicunt, differentia est constituta, haec quoque ex essentiae et entis discrimine repetenda erat. At num haec an alia partitio fuerit, affirmare non ausim. Ipsum denique aliquo modo se habere, quatenus diversum est ab iis, quae aliquo modo se habent, verbo *εἶναι* expressum esse suspicor, ut quemadmodum *καθημένος* a *καθῆσθαι* diversum, ita *album esse* ab iis, quae alba sunt, cuiusmodi notiones saepe singulis verbis exprimuntur, e. g. albere.

Restat, ut tabulam addam aliquo modo se habentium differentias exhibentem.

πὼς ἔχον								
κατὰ διαφοράν				κατάστασις				
σωματικῶς		ἀσωμάτως		σχέσις		κίνησις		
ποσόν	ποιόν	πού	ποτέ	κεῖσθαι	ἔχειν	πάσχειν	ποιεῖν	
— *)	—	—	—	—	—	—		ἐξ ἑαυτοῦ
—	—	—	—	—	—	—		δι᾽ ἑαυτοῦ
—	—	—	—	—	—	—		ἀφ᾽ ἑαυτοῦ

*) Lineae appositae indicant genera subdivisa, quae nos latent.

Caput V.

Aliquo modo ad aliquid relatum.

Jam ad ultimam categoriam pervenimus. Nihil est, quod moneam de differentia, qua haec categoria a ceteris distinguatur, nisi quod ex eius definitione jam afferenda cognosci possit. Brevem definitionem reperimus apud Sextum Empiricum adv. Math. VIII. 454. *Ὑπογράφοντες τὸ πρός τι συμφώνως φασὶν* [*οἱ Δογματικοί*], *πρός τί ἐστι τὸ πρὸς ἑτέρῳ νοούμενον.* Simplicius hunc locum fusius adumbravit f. 42. *E. — Z. Οἱ δὲ Στωϊκοὶ ἀνθ᾽ ἑνὸς γένους δύο κατὰ τὸν τόπον τοῦτον ἀριθμοῦνται, τὰ μὲν ἐν τοῖς πρός τι τιθέντες, τὰ δὲ ἐν τοῖς πρός τί πως ἔχουσι· καὶ τὰ μὲν πρός τι ἀντιδιαιροῦσι τοῖς καθ᾽ αὑτά, τὰ δὲ πρός τί πως ἔχοντα τοῖς κατὰ διαφοράν· πρός τι μὲν λέγοντες τὸ γλυκὺ καὶ πικρὸν καὶ τὰ τοιαῦτα καὶ ὅσα τοιῶςδε διατίθησι· πρός τι δέ πως ἔχοντα, οἷον δεξιόν, πατέρα καὶ τὰ τοιαῦτα· κατὰ διαφορὰν δέ φασι τὰ κατά τι εἶδος χαρακτηριζόμενα· ὥςπερ οὖν ἄλλη τῶν καθ᾽ αὑτὰ ἔννοια καὶ ἄλλη τῶν κατὰ διαφοράν, οὕτως ἄλλα μὲν τὰ πρός τί ἐστιν, ἄλλα δὲ τὰ πρός τί πως ἔχοντα· ἀντεστραμμένη δέ ἐστι τῶν συζυγιῶν ἡ ἀκολουθία· τοῖς μὲν γὰρ καθ᾽ αὑτὰ συνυπάρχει τὰ κατὰ διαφοράν· καὶ γὰρ τὰ καθ᾽ αὑτὰ ὄντα διαφορὰς ἔχει τινάς, ὥςπερ τὸ λευκὸν καὶ μέλαν· οὐ μέντοι τοῖς κατὰ διαφορὰν τὰ καθ᾽ αὑτὰ συνυπάρχει· τὸ γὰρ γλυκὺ καὶ πικρὸν διαφορὰς μὲν ἔχει, καθ᾽ ἃς χαρακτηρίζεται, οὐ μέντοι καθ᾽ αὑτά*

ἐστι τοιαῦτα, ἀλλὰ πρός τι· τὰ δὲ πρός τί πως ἔχοντα, ἅπερ ἀντίκειται τοῖς κατὰ διαφοράν, πάντως καὶ πρός τί ἐστιν· ὁ γὰρ δεξιὸς καὶ πατὴρ μετὰ τοῦ πὼς ἔχειν καὶ πρός τί εἰσι· τὸ γλυκὺ καὶ πικρὸν πρός τι ὄντα κατὰ διαφοράν ἐστι, τὰ δὲ πρός τί πως ἔχοντα ἐναντία τοῖς κατὰ διαφορὰν ὑπάρχει· καὶ γὰρ τὰ μὲν πρός τί πως ἔχοντα ἀδύνατον καθ᾽ αὑτὰ εἶναι ἢ κατὰ διαφοράν, ἐκ γὰρ τῆς πρὸς ἕτερον σχέσεως ἤρτηται μονῆς· τὰ μέντοι πρός τι καθ᾽ αὑτὰ μὲν οὐκ ἐστιν, οὐ γάρ ἐστιν ἀπόλυτα, κατὰ διαφορὰν δὲ πάντως ἔσται, μετὰ γάρ τινος χαρακτῆρος θεωρεῖται. Εἰ δὲ δεῖ σαφέστερον μεταλαβεῖν τὰ λεγόμενα, πρός τι μὲν λέγουσιν, ὅσα κατ᾽ οἰκεῖον χαρακτῆρα διακείμενά πως ἀπονεύει πρὸς ἕτερον· πρός τι δέ πως ἔχοντα, ὅσα πέφυκε συμβαίνειν τινὶ καὶ μὴ συμβαίνειν ἄνευ τῆς περὶ αὐτὰ μεταβολῆς καὶ ἀλλοιώσεως μετὰ τοῦ πρὸς τὸ ἐκτὸς ἀποβλέπειν, ὥστε ὅταν μὲν κατὰ διαφοράν τι διακείμενον πρὸς ἕτερον νεύσῃ, πρός τι μόνον τοῦτο ἔσται, ὡς ἡ ἕξις καὶ ἡ ἐπιστήμη καὶ ἡ αἴσθησις· ὅταν δὲ μὴ κατὰ τὴν ἐνοῦσαν διαφοράν, κατὰ ψιλὴν δὲ τὴν πρὸς ἕτερον σχέσιν θεωρῆται, πρός τί πως ἔχοντα ἔσται· ὁ γὰρ υἱὸς καὶ ὁ δεξιὸς ἔξωθέν τινων προσδέονται πρὸς τὴν ὑπόστασιν· διὸ καὶ μηδεμιᾶς γινομένης περὶ αὐτὰ μεταβολῆς, γένοιτ᾽ ἂν οὐκέτι πατήρ, τοῦ υἱοῦ ἀποθανόντος, ὁ δὲ δεξιός, τοῦ παρακειμένου μεταστάντος· τὸ δὲ γλυκὺ καὶ πικρὸν οὐκ ἂν ἀλλοῖα γένοιτο, εἰ μὴ συμμεταβάλλοι καὶ ἡ περὶ αὐτὰ δύναμις· εἰ τοίνυν καὶ μηδὲν αὐτὰ παθόντα μεταβάλλοι κατὰ τὴν τοῦ ἄλλου πρὸς αὐτὰ σχέσιν, δηλονότι ἐν

τῇ σχέσει μόνῃ τὸ εἶναι ἔχει καὶ οὐ κατά τινα διαφορὰν τὰ πρός τί πως ἔχοντα. "Stoici pro uno genere in hoc loco numerant duo, alia in iis, quae ad aliquid relata sunt, alia in iis, quae ad aliquid aliquo modo relata sunt, ponentes; atque relata ad aliquid dividendo opponunt iis, quae per se sunt, aliquo modo autem ad aliquid relata iis, quae secundum differentiam sunt, ad aliquid relata appellantes dulce et amarum et talia, quae simili ratione se habent, relata vero ad aliquid aliquo modo dextrum et patrem, aliaque eiusmodi. Secundum differentiam vero ea esse dicunt, quae secundum speciem quandam definiuntur; sicut igitur alia eorum, quae per se sunt, notio, atque alia eorum, quae secundum differentiam sunt, ita alia sunt simpliciter relata, alia aliquo modo relata; e contrario autem sibi respondent notiones juxta se positae; quae enim per se sunt, simul secundum differentiam sunt, quae enim per se sunt, etiam differentias continent, ut album et nigrum; neque tamen ea, quae secundum differentias sunt, per se quoque sunt, dulce enim et amarum differentias quidem habent, secundum quas definiantur, talia tamen non per se sunt, sed relata; aliquo modo autem relata opposita iis, quae secundum differentiam sunt, omnino etiam ad aliquid relata sunt, dexter enim et pater praeterquam quod aliquo modo se habent, etiam ad aliquid referuntur. Dulce quidem et amarum, simpliciter relata, etiam

secundum differentiam sunt; sed aliquo modo relata iis, quae secundum differentiam sunt, contraria exsistunt, etenim neque per se neque secundum differentiam esse possunt, e sola enim affectione ad aliud relata constant. Verum ad aliquid relata per se quidem non sunt, dissolvi enim non possunt, omnino autem secundum differentiam sunt, cernuntur enim signo quodam proprio. Si vero quae dicta sunt, clarius etiam exponantur oportet, ad aliquid relata dicunt ea, quae secundum peculiare quoddam signum aliquo modo se habentia simul aliud indicant; ad aliquid vero aliquo modo relata ea, quae sive rei accidunt, sive non accidunt, ipsam non mutant neque variant, sed non nisi foras spectant; itaque si quid secundum differentiam se habens simul aliud indicat, hoc ad aliquid simpliciter relatum est, ut habitus et scientia et sensus, si quid vero non secundum differentiam, sed secundum affectionem tenuem ad aliud relatam cernitur, ad aliquid aliquo modo relatum erit; filius enim et dexter rebus externis indigent, ut subsistere possint; quare nihilo in ipsis mutato, pater esse desinit, filio mortuo, atque dexter, re, quae apposita erat, remota; dulce vero et amarum non mutantur, nisi potentia iis propria simul mutatur; si ergo ipsa nihil passa secundum affectionem, qua ad alia referuntur, mutantur, apertum est, in hac sola affectione neque secundum ullam differentiam constare ad aliquid aliquo modo relata."

Duo igitur relatorum genera a Stoicis constituuntur, ad aliquid simpliciter relata et ad aliquid aliquo modo relata, quae ut accurate percipiantur et distinguantur, ea prius intelligantur, quibus opponuntur, necesse est. Simpliciter relata, utpote quae secundum differentiam se habeant, opponuntur iis, quae per se sunt; cuiusmodi quae sint, quaerendum est. Simplicius ab Aristotelis sententia profectus nunc in essentia, quanto et quali ea ponit (f. 40. *E.*), nunc in omnibus ceteris categoriis praeter relationem (f. 45. *E.*); eadem e Stoicorum ratione in primam tantum et secundam categoriam cadere videntur, certe, quae iis opponuntur, secundum differentiam se habentia, tertiam categoriam occupant, quamquam in hac nihil per se esse, omnino negare non ausim. Etenim si Stobaeus in bonis dividendis Ecl. l. II. c. 7. p. 128. haec profert: *Ἔτι δὲ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι καθ' ἑαυτά, τὰ δὲ πρός τί πως ἔχειν· καθ' ἑαυτὰ μὲν ἐπιστήμην, δικαιοπραγίαν καὶ τὰ ὅμοια· πρός τι δὲ τιμήν, εὔνοιαν, φιλίαν·* vocabulum *δικαιοπραγία* non qualitatem, sed actionem indicare videtur, quae tertiae est categoriae. Si res ita se habet, per se sunt actiones substantivi forma expressae. Ceterum quae per se sunt, in universum omnibus relatis opponuntur. Quinct. inst. orat. I. 6. 13. et Spalding ad h. l. Omnia, quae per se sunt, cum etiam differentias habeant, si ad aliud spectant, simul ad aliquid simpliciter referuntur. Ejusmodi

sunt omnes virtutes. Neque tamen omnia, quae secundum differentiam sunt, etiam referuntur ad aliud, additur enim: ὅσα ἀπονεύει πρὸς ἕτερον, sed, quantum exempla rem declarant, sola opposita, quae ipsa oppositione indicant alia. Aliquo modo ad aliquid relata per se satis perspicua sunt, quare jam ad subdivisionem transeo.

Simpliciter relatorum genera duo aperte distinguuntur, quae jam Aristoteles agnovit. Relatio enim est aut mutua, i. e. ab utraque parte eadem, ut in bono et malo, nigro et albo, amaro et dulci, quorum utrumque simul in eodem substrato esse non potest. Non mutua est relatio, ex qua alterum ab altero pendeat, ad quam pertinent scientia et scibilia, habitus et habita vel habilia, sensus et sensibilia, quorum si haec tolluntur, illa quoque evanescunt, scientia enim sine iis, quae sciuntur, nulla est, scibilia autem esse possunt, etiamsi a nemine sciantur; ceterorum eadem est ratio. Cf. P. II. c. 5.

Quae vero aliquo modo relata sunt, eorum hic neque affertur neque significatur ulla divisio, de solis enim affectionibus sermo est, nisi forte dexter et pater eo inter se differunt, quod dexter indicat affectionem ad arbitratum sumptam, pater naturalem, quod discrimen a Stoicis factum esse ostendam, postquam affectionis huius utrumque comprehendentis differentias exposuero; cui hic quoque motio fuisse opposita videtur, quod cum

ex antecedentis categoriae analogia conjectura assequi possimus, tum Simplicius varias vocis *ἐκτὸν* apud Stoicos significationes f. 54. *Γ.* enumerans indicare videtur hoc modo: *Οἱ δὲ [Στωϊκοὶ] προςελάμβανον καὶ τὰς πρός τί πὼς ἐχούσας κινήσεις· οἷα ἡ ἔγχυσις καὶ ἡ ἔκχυσις, καὶ ἔτι τὰς πρός τί πως ἐχούσας σχέσεις, οἷα ἡ ἀπάτη, καὶ ἔτι τὰς ἐν γένει τῶν κινήσεων καὶ σχέσεων, ἃς οὔτε κινήσεις βούλονται εἶναί τινες οὔτε σχέσεις, οἷα ἡ αὐτὸ τοῦτο κατόρθωσις καὶ ἡ αὐτὸ* *) *τοῦτο ἁμαρτία θεωρεῖται.* "Alii etiam assumunt motiones ad aliquid aliquo modo relatas, qualis est infusio et effusio, atque affectiones aliquo modo ad aliquid relatas, cuiusmodi est fraus; praeterea ea, quae in genere sunt motiones et affectiones amplectente, quae neque affectiones neque motiones esse nonnulli volunt, qualis est correctio sui et depravatio sui, quae hoc ipsum i. e. nec affectiones nec motiones sunt." Itaque neque affectiones tantum et motiones, sed, ut in tertia categoria, conditiones neutrae vel ex utrisque compositae constituuntur. Alia et affectionis et motionis exempla praebet Plutarchus de Stoic. repugn. c. 34. *Δῆλον μὲν ὅτι σχέσεις αἱ κακίαι καὶ τὰ νοσήματα, φιλαργυρίαι, φιληδονίαι, φιλοδοξίαι, δειλίαι, ἀδικίαι· κινήσεις δὲ μοιχεῖαι, κλοπαί, προδοσίαι, ἀνδροφονίαι*

---

*) Libri exhibent *αὐτὴ τοῦτο*, equidem, ut antea scriptum est, hic quoque rescribendum esse puto *αὐτὸ τοῦτο* i. e. *ἡ αὐτὸ τοῦτο, οὔτε σχέσις οὔτε κίνησις οὖσα.*

πατροκτονίαι. Quae vitia non tantum aliquo modo se habere, sed etiam relata esse omnia praeter ignaviam (*δειλίαν*) et injustitiam (*ἀδικίαν*), ipsae notiones ostendunt. Ex quo concludendum esse videtur, eorum, quae ad aliquid relata sunt, eandem esse subdivisionem, quae in aliquo modo se habentibus; cui tamen opinioni adversatur locus fide dignissimus, qui adeo locis allatis repugnare videtur, neque tamen vere repugnat, sed cum iis optime conciliari potest. Simplicius Stoicorum de effectione et passione sententiam recensens f. 79. B. *Καὶ τοῦτο γὰρ ὀρθῶς λέγεται, ὡς οὐ τοῖς κατηγορήμασι πρώτοις δεῖ προςεῖναι τὸ πρός τι εἶναι, ἀλλὰ τοῖς συνυφισταμέναις πως ἔχουσιν, οἷον τῷ κάοντι καὶ τύπτοντι· οὗτος γάρ ἐστιν ὁ τόνδε τύπτων καὶ τόνδε κάων· ἐπεὶ γὰρ ἐν συνθέσει πὼς ἔχει ὁ τύπτων μετὰ τοῦ ὑποκειμένου ὀνόματος, καὶ ἡ ποίησις αὐτοῦ τὸ συμμικτὸν πὼς ἐμφαίνει καὶ τὸ ἔχον πως πρὸς ἕτερον. Τὸ μέντοι ποιεῖν, ἐπειδὴ καθαρῶς μονῇ τῇ ἐνεργείᾳ συνέζευκται, διὰ τοῦτο κατ᾽ αὐτὴν ἵσταται μόνην καθαρῶς· καὶ τὸ μὲν οὔτε σχέσεως οὔτε μίξεως τῆς πρὸς τὸ πάσχον ἀναπίμπλαται· καὶ γὰρ μάλιστα μὲν οὐδέ ἐστιν ἐν τοῖς κατηγορήμασι τὰ πρός τι· εἰ δὲ ἄρα τις αὐτὸ μέχρις ἐπινοίας λαμβάνει, ὡς δεύτερον νοεῖται. Αὐτοὶ μὲν γὰρ οἱ πὼς ἔχοντες κατὰ πρῶτον εἶεν ἂν πρός τι, ἕτερον δὲ τρόπον κατὰ δευτέραν αἰτίαν καὶ τὰ κατηγορήματα τοιαῦτα ἐπινοεῖται. Κἀκεῖνο δὲ καλῶς εἴρηται, ὡς τὰ μὲν πρός τι μόνη ἡ σχέσις ὑφίστησι· τὸ δὲ ποιεῖν καὶ πάσχειν ἔχει τινὰς*

ἰδίας φύσεις, παρ' ἅς, εἴπερ ἄρα, τά πρός τί πως δεύτερα ἐπινοεῖται. "Etenim hoc quoque recte dicunt, praedicationibus primis (i. e. subjecto non addito) relationem inesse non oportere, sed iis, quae in comprehensione verborum aliquo modo se habent (i. e. subjectis), ut ei, qui urit vel verberat; hic enim est illum verberans vel illum urens; cum enim in comprehensione verborum, subjecto addito (*μετὰ τοῦ ὑποκειμένου ὀνόματος*), aliquo modo se habeat verberans, effectio mixtum illud aliquo modo se habens significat, idque ad aliud relatum. Efficere igitur cum simpliciter soli actioni adjungatur, hac de causa per se simpliciter accipitur; hoc igitur neque affectionis neque mixtionis ad passionem relatae est particeps; etenim in praedicationibus omnino non sunt relata; si quis vero illa usque ad cogitationes implicatas (*μέχρις ἐπινοίας,* connexum puto subjecti et praedicati) persequitur, relata ut posteriora cogitationibus implicantur. Ipsi enim, qui aliquo modo se habent, primo relati sunt ad aliquid, alia vero ratione ex posteriore causa etiam praedicationes ejusmodi esse cogitantur. Illud quoque pulcre dixerunt: relationem sola affectio suppeditat, efficere vero et pati suas habent naturas, praeter quas, siquidem omnino, relatio cogitationi posterior implicatur." Praedicationes igitur, subjecto destitutae, nullam indicant relationem; quibus si additur subjectum, relatio exsistit, primo et proprie in subjecto posita, deinde etiam

in praedicatione. De enuntiatis autem, non de participiis, (quod quis propter exempla participiorum, quibus subjecta indicantur, credere possit), sermonem esse, cum praedicationum mentio doceat, tum alius locus affirmat (f. 79. *A.*): *Καὶ ὅλως τὰ μὲν πρός τι κατ' αὐτὴν μόνην θεωρεῖται τὴν σχέσιν, ὥςπερ ἡ δεξιότης καὶ ἡ ὁμοιότης· τὰ δὲ ἑτέρων ὄντα οὕτως, ὡς κατὰ μετοχὴν ὑφιστάμενα, ὡς ἐν τῷ κινουμένῳ ἡ κίνησις καὶ ἐν τῷ ἐνεργοῦντι ἡ ἐνέργεια οὐ τὴν πρός τι σχέσιν παρίστησιν, ἀλλὰ μετοχὴν τῆς κινήσεως. Αἱ δὲ μετοχαὶ οὐκ ἐποίουν τὸ πρός τι, ἐπεὶ οὕτως ἑνὶ λόγῳ πάντα ἐστὶ πρός τι.* "Relata secundum solam affectionem spectantur, quemadmodum dexteritas et paritas; quae vero aliorum sunt et secundum participationem subsistunt, ut in moto motio, in agente actio, affectionem relatam non exhibent, sed participationem tantum motionis. Participia igitur relationem non efficiunt, alioquin omnia essent relata." Hoc loco simul docemur, quod de efficiendo, idem de patiendo valere. Si quae igitur ad aliquid relata secundum affectionem et motionem vel secundum effectionem et passionem diversa sunt, haec diversitas e tertia categoria repetenda est. Relationis vero affectio propria est et ab affectione aliquo modo se habentium diversa; illam Simplicius ad Epict. Ench. valde amplificavit et multipliciter divisit c. 37. p. 195. a. ed. Heins. *Ἀλλὰ τί ποτ' ἐστὶν ἡ σχέσις, δεῖ πρότερον ἐννοῆσαι καὶ οὕτω ταῖς διαφοραῖς αὐτῶν*

ἐπιστῆσαι. Ἡ τοίνυν σχέσις, ὡς κοινῶς εἰπεῖν, σύνταξίς ἐστί τινων πρὸς ἄλληλα φυσικὴ ἢ προαιρετική, ὁμοίων ἢ ἀνομοίων· ἡ μὲν συναγωγός, ἡ δὲ διαστατική, μενούσης τῆς περιγραφῆς τῶν ἐν σχέσει ὄντων· μέση γὰρ ἡ σχέσις ἐστὶ τῶν ἐχόντων τὴν σχέσιν, [ἃ] *) καὶ ἔχεται ἀλλήλων κατὰ τὴν σχέσιν ἢ μᾶλλον κατεσχέθη ὑπ᾽ ἀλλήλων· ὥςτε καὶ διακριθέντα καὶ ἄλλα γενόμενα μὴ τέλεως ἀποσπασθῆναι, ἀλλὰ μεῖναι ἀλλήλων ὄντα· διὸ καὶ ἔστι καὶ λέγεται πρὸς ἄλληλα τὰ τὴν σχέσιν ἔχοντα. Ἔστι δὲ σύνταξις φυσικὴ ὁμοίων συναγωγὸς ἡ τῶν ἀδελφῶν· διὸ καὶ ὁμοίως πρὸς ἄλληλα ἀποδίδονται· ὁ γὰρ ἀδελφὸς ἀδελφοῦ ἀδελφός, καὶ ὁ ἶσος ἴσου ἶσος, καὶ ὁ συγγενὴς συγγενοῦς συγγενής, καὶ ὁ πολίτης πολίτου πολίτης. Σύνταξις δὲ φυσικὴ ὁμοίων διαστατικὴ ἡ τῶν ἀλλοτρίων κατὰ γένος· καὶ γὰρ καὶ αὕτη σύνταξίς ἐστι φυσικὴ καὶ κατ᾽ ὁμοιότητα· διὸ καὶ λέγεται πρὸς ἄλληλα καθ᾽ ὁμοιότητα· ὁ γὰρ ἀλλότριος ἀλλοτρίου ἀλλότριος, διαστατικὴ μέντοι ἡ σύνταξις· τὸ γὰρ ἀλλότριον χωριστικὸν τῶν γενῶν ἐστιν, ὥςπερ τὸ συγγενὲς ἑνωνικόν· διὰ δὲ τὴν ὁμοιότητα, κἄν τε συναγωγός, κἄν τε διαστατική, τὰ καθήκοντα τὰ αὐτὰ ἐστιν ἐφ᾽ ἑκατέρου πρὸς τὸ ἕτερον. Σύνταξις δὲ φυσικὴ ἀνομοίων συναγωγὸς πατρὸς καὶ υἱοῦ πρὸς ἀλλήλους· καὶ γὰρ φυσική ἐστι συναγωγός, ἀνομοίων δέ, διότι οὐκέτι πρὸς τὸ αὐτὸ ἡ ἀπόδοσις, ὡς ἐπὶ τῶν ἀδελφῶν· ἐκεῖ γὰρ

*) Hoc ἃ contra librorum auctoritatem inserendum esse puto.

ἐλέγομεν ὁ ἀδελφὸς ἀδελφοῦ ἀδελφός, ἐνταῦθα δὲ ὁ πατὴρ υἱοῦ πατήρ, καὶ ὁ υἱὸς πατρὸς υἱός· ἔστιν οὖν αὕτη σύνταξις φυσικὴ ἀνομοίων συναγωγός· ἀλλὰ τὸ ἀνόμοιον ἔχει ὡς αἴτιον καὶ αἰτιακόν. Ἄλλη δέ ἐστι σύνταξις φυσικὴ συναγωγὸς ἀνομοίων, τῶν ὡς ἐναντίων, ὡς ἔχει τὸ δεξιὸν καὶ ἀριστερόν· καὶ γὰρ ἀνόμοια ὄντα ταῦτα συνῆκται μὲν πρὸς ἄλληλα, κατὰ δὲ τὴν τοπικὴν ἐναντίωσιν. Σύνταξις δὲ φυσικὴ ἀνομοίων διαστατική, ὡς τὸ πέρυσι καὶ τὸ τῆτες· σχέσις γὰρ καὶ αὕτη διαστατικὴ κατὰ χρόνον.

Σύνταξις δὲ προαιρετικὴ ὁμοίων συναγωγὸς ἡ τῶν φίλων· διαστατικὴ δὲ ἡ τῶν ἐχθρῶν, καὶ γὰρ οἱ ἐχθροὶ συντεταγμένοι μέν εἰσι κατὰ σχέσιν προαιρετικῶς, ὅμοιοι ὄντες· διὸ καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ ἡ ἀπόδοσις, ὁ ἐχθρὸς ἐχθροῦ ἐχθρός, ὥςπερ ὁ φίλος φίλου φίλος· διαστατικὴ δὲ ἐπὶ τῶν ἐχθρῶν ἡ σύνταξις, ὥςπερ ἐπὶ τῶν φίλων ἑνωτική. Σύνταξις δὲ προαιρετικὴ ἀνομοίων συναγωγὸς ἡ τοῦ διδάσκοντος καὶ μανθάνοντος, ὡς αἰτίου καὶ αἰτιακοῦ· ὡς δὲ ὑπεναντίων ἡ τοῦ πιπράσκοντος καὶ ἀγοράζοντος. Σύνταξις δὲ προαιρετικὴ κατὰ ἀνομοιότητα διαστατικὴ ἡ τοῦ διώκοντος καὶ τοῦ φεύγοντος· ὁ γὰρ διώκων φεύγοντα διώκει· συντεταγμένη μὲν κατὰ προαιρετικὴν σχέσιν ἀνομοίων, διαστατικῶς δὲ συντεταγμένη. Ἡ μέντοι ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς σχέσις μέση τις ἔοικεν εἶναι τῶν τε φυσικῶν καὶ προαιρετικῶν, ὡς ἀμφοτέρων μετέχουσα καὶ κατὰ ἀνομοιότητα ἀποδιδομένη· ὁ γὰρ ἀνὴρ γυναικὸς ἀνὴρ καὶ ἡ γυνὴ ἀνδρὸς γυνή· μέσην δὲ καὶ οἱ γείτονες ἔχουσι σχέσιν πρὸς ὁμοιότητα ἀποδιδόμενοι.

Τὸ δὲ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον τὸ μὲν φυσικόν ἐστιν· ἄρχει γὰρ ἀεὶ τὸ κρεῖττον τοῦ χείρονος ἐν τῷ παντί· τὸ δὲ προαιρετικόν, ὅταν κατὰ σύνταξιν οἱ μὲν πλούσιοι ἄρχωσιν, οἱ δὲ πένητες ἄρχωνται· τὸ δὲ μικτόν, ὅταν κοινῇ δόξῃ τοὺς φρονιμωτέρους ἄρχειν. "Quid sit affectio, prius intelligendum est, quam eius differentias cognoscamus. Affectio igitur est, ut in universum proferam, rerum inter se connexus, naturalis aut arbitrarius, parium aut imparium, conjunctivus aut disjunctivus, quamdiu manet circumscriptio eorum, quae in affectione sunt; media enim est affectio inter ea, quae affectionem habent, quippe quae inter se cohaereant secundum affectionem vel potius alia ab aliis teneantur ita, ut etiam sejuncta et paullulum mutata non omnino dispergantur, sed inter se cohaerere pergant; itaque sunt et dicuntur alia ad alia relata, quae affectionem hanc habent. Naturalis vero connexus paria conjungens est fratrum, quare alio ad alium referendo definiuntur; frater enim fratris est frater et aequalis aequali aequalis et affinis affini affinis. Connexus vero naturalis paria disjungens in genere est alienorum, connexus enim hic quoque est naturalis isque parium; alienus enim ab alieno est alienus, disjungit vero connexus hic; alienum enim separat genera, sicut affine ea copulat. Quia parium est sive conjunctio sive disjunctio, officia alterius erga alterum eadem sunt. Connexus vero naturalis imparia conjungens est patris et filii inter se relatio;

nam et naturalis est conjunctio et imparium, quare neque eo, quod ad idem refertur, definiri potest, ut fratrum; ibi enim frater fratris frater dictus est, hic vero pater filii pater et filius patris filius; hic igitur est connexus naturalis imparia conjungens; impar vero hoc ut causa et effectus se habet; alius enim connexus naturalis imparia conjungens est velut contrariorum, cuiusmodi se habet dextrum et sinistrum, etenim cum imparia sint, secundum oppositionem localem conjuncta sunt. Connexus naturalis imparia disjungens est ut antea et nunc; affectio enim est haec quoque disjunctiva secundum tempus. Connexus vero arbitrarius paria conjungens est amicorum, disjungens contra inimicorum; etenim inimici quoque ex arbitrio secundum affectionem coördinati sunt, cum inter se pares sint, quare ad idem definiendo referuntur, inimicus inimici inimicus, ut amicus amici amicus, disjungit vero inimicorum connexus, ut amicorum connexus copulat. Connexus autem arbitrarius imparia conjungens est discentis et docentis, ut causae et effectus, contrariorum vero connexus, ut ementis et vendentis. Connexus rursus arbitrarius imparia disjungens est accusatoris et rei, (accusator enim reum accusat,) secundum arbitrariam affectionem disjunctive coordinatus. Verum enim vero viri et feminae affectio media quaedam esse videtur inter naturalia et arbitraria, utrorumque particeps eaque ex imparis notione definita; vir

enim feminae vir et femina viri femina; mediam affectionem etiam vicini habent ex paris notione definiti; imperans vero et cui imperatur cum naturale est, (imperat enim ubique semper melius peiori), tum arbitrarium, ubi conventum est, ut divites imperent, pauperibus imperetur, tum denique mixtum, ubi opinio est vulgi, prudentiores imperare." Etiamsi auctor huius divisionis non affertur, eum Stoicae fuisse disciplinae, quia Simplicius ad Stoicorum placitum enucleandum illam adhibet, vix dubitari potest, praesertim cum iis, quae diserte e Stoicorum doctrina allata sunt, non repugnet, imo accurate conveniat. Accedit, quod Sextus Empiricus exempla profert, cum eadem, tum alia, quorum haec partim in illa genera cadunt, partim nova addunt ab iis diversa. Simplicis relationis exempla affert eadem, quae Simplicius (ad Aristotelem), album et nigrum, dulce et amarum; eiusdem generis novum addit exemplum argumentationis (*ἀποδείξεως*), quae ad id, quod argumentatione affirmandum est (*ἀποδεικτέον*), refertur (adv. Math. VIII. 454). Relationis aliquo modo se habentis apud eum exempla reperiuntur eadem, quae apud Simplicium (ad Epictetum): aequalis et inaequalis (*ἴσου καὶ ἀνίσου*); alia: infra et supra (*ἄνω καὶ κάτω*, adv. Math. VIII. 454.); causae et effectus (*αἰτίας*, adv. Math. IX. 208.); signi et significati (*σημείου καὶ σημειωτοῦ*, Hypot. III. 104. adv. Math. VIII. 244.). Supra et infra

eodem pertinere videntur, quo dextrum et sinistrum, ad affectionem imparium conjunctivam contrariorum; signum et significatum pro causa et effectu habuerunt (cf. infra P. V. c. 1.). Restat relationis aliquo modo se habentis species, quam nos comparationem vocare solemus, cuius exempla Simplicius, contra Stoicos contendens, aliquo modo relata non diversa esse a simpliciter relatis, differentias enim in iis esse easdem, f. 43. *A.* affert multa: *Ὁ δὲ χαρακτὴρ οὗτος* [differentiarum in utrisque earundem] *ὅπου μὲν ποιότης ἐστίν, ὡς τὸ λευκότερον σὺν τῇ χρόᾳ τοιοῦτον, ὅπου δὲ ποσότης, ὡς ἐν τῷ πλεῖον καὶ μακρότερον, ὅπου δὲ κίνησις, ὡς ἐν τῷ πρεσβύτερον, ὅπου δὲ τόπος, ὡς ἐν τῷ ἀνώτερον.* Quam relationem vocabulis *μᾶλλον καὶ ἧττον* appellare possumus; ceterum haec affectionem imparium disjunctivam exprimit.

Si respicimus ad discrimen inter simpliciter et aliquo modo relata obtinens, hoc e prioribus categoriis repetendum esse videtur. Simplicius enim f. 43. *A.* haec quoque contra Stoicos disputat: *Κἀκεῖνο ἄτοπον τὸ σύνθετα ποιεῖν τὰ γένη ἐκ προτέρων τινῶν καὶ δευτέρων, ὡς τὸ πρός τι ἐκ ποιοῦ καὶ τοῦ πρός τι.* Itaque simpliciter relata composita sunt ex quali et relatione; aliquo modo autem relata simili ratione e conditione aliquo modo se habendi et relatione constare, per se apparet. Relatio autem utrisque communis nexus quidam est necessarius,

qui cernitur in vicissitudine, quod inde colligas, quod Stoici contra eos disputabant, qui hanc etiam qualibus vindicare voluerunt. Simpl. f. 46. *Γ. Οἱ τὸ μὲν καλὸν τὸ δι' αὐτὸ αἱρετὸν λέγουσι, τὸ δὲ ἀγαθὸν τὸ κατὰ φύσιν· καὶ διὰ τοῦτο, εἴ τι μὲν καλόν, καὶ ἀγαθὸν εὐθὺς εἶναι τίθενται, οὐκ ἀνάπαλιν δέ.* Hoc *ἀνάπαλιν* (vicissitudo) in simplici relatione est contrariorum ad substratum relatorum, in quo alterum tantum esse potest; in aliquo modo relatis inter haec ipsa ad illud aliquo modo se habere relata obtinet.

Relationis et relatorum eadem est differentia atque aliquo modo se habendi et eorum, quae aliquo modo se habent, ut relatio incorporalis, relata corporalia sint.

Si jam licet ad oppositionem spectare relationi insitam e variis exemplis, quae ad relationem illustrandam afferuntur, cognoscitur, non in priore tantum relatorum genere contraria reperiri, sed etiam in posteriore, etenim ut mala et bona sunt contraria, ita quoque effusio et infusio, amicitia et inimicitia. Quae relata *non contraria* sunt seu non contrarietate altera ad altera referuntur, ipsa relatione inter se opponuntur, cuiusmodi sunt cum scientia et scibile, tum pater et filius. (Cf. infra P. III. c. 5., ubi etiam testimonia et argumenta reperies.). Quae relatione inter se oppo-

nuntur, aut ab altera tantum parte relata sunt, ut scientia et scibile, scientia enim, deficientibus iis, quae sciuntur, (scibilibus), esse non potest, scibilia autem sine scientia esse possunt, aut ab utraque parte relata sunt et relatione mutua utuntur, ut pater et filius, amicus et amicus, altero enim deficiente alter esse desinit. Quae hoc modo invicem (ἐξ ἀμφοτέρων) altera ad altera referuntur, aut eadem ratione (ἀδιαφόρως), ut amici, aut diversa ratione, ut pater et filius, relationem indicant. Quae ab altera tantum parte referuntur, sunt simpliciter relatorum, quae ab utraque parte, eorum, quae in relatione aliquo modo se habent. Quibus ab utraque parte relatio est eadem, paria sunt, quibus diversa, imparia; in quibus generibus, parium dico et imparium, haec divisio ex ipsis exemplis reperta cum ea consentit, quam ex Simplicii commentario ad Epictetum attuli, ut hic sit relationis conspectus:

Nota. Totum hoc relatorum genus aliter persecutus est Cicero in Topicis (quorum rationem initio Partis quintae exponam) c. 3. minus ordinatim haec proferens: "Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur. Sed hoc genus in plures partes distributum est. Nam alia conjugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex similitudine, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione majorum aut parium aut minorum.

πρός τί πως ἔχον

πρός τι | *πρός τί πως*

πρός τι: *ἐναντία* — *οὐκ ἐναντία οὐκ ἐξ ἀμφοτέρων*

πρός τί πως: *ἐναντία* — *οὐκ ἐναντία ἐξ ἀμφοτέρων*

οὐκ ἐναντία ἐξ ἀμφοτέρων: *ἀδιαφόρως ὁμοίων* — *οὐκ ἀδιαφόρως ἀνομοίων*

ἀδιαφόρως ὁμοίων: *συναγωγός* — *διαστατική*

οὐκ ἀδιαφόρως ἀνομοίων: *συναγωγός αἰτίου καὶ αἰτιακοῦ ὡς ἐναντίων* — *διαστατική σχέσις χρονική μᾶλλον καὶ ἧττον*

σχέσις τοπική

σχέσις φυσική — *σχέσις προαιρετική*

PARS SECUNDA.

De rerum divisione.

Caput I.

De fundamento divisionis.

Jam cuique apparebit, in categoriarum discrimine non quaesitum esse, num quid sit, annon, sed in quaque categoria et ea, quae vere *sunt* et quae *exsistere* tantum et *subsistere* dicuntur, aut enumerantur aut enumerari possunt, e. g. *pater*, quatenus hoc corpus est, primae est categoriae, quatenus ad filium refertur, quartae; *sedens*, quatenus hic homo est substratum, quatenus sedet, aliquo modo se habet, *sedens* vero, qui etiam *est* atque *sedere*, quod *subsistit* tantum, in eadem categoria collocantur. Unaquaeque igitur res alia ratione animo concepta in aliam cadit categoriam, in cunctis vero et corporalia et incorporalia reperiuntur et quae sunt et quae exsistunt tantum

vel subsistunt. Itaque rerum divisio a categoriis eo maxime differt, quod in hac prae ceteris spectatur, num quid sit, annon, atque si est, qua ratione sit. Quo discrimine neglecto Plotinus gravius in Stoicos invehitur; quem priusquam infringam, ipsa divisio obiter est adumbranda. Seneca epist. 58. res hoc modo dividit, Stoicos sequens: "Quod est (τὸ ὄν), in has species divido, ut sint corporalia aut incorporalia. Nihil tertium est. Corpus quomodo divido? ut dicam: aut animantia sunt, aut inanimantia. Rursus animantia quemadmodum divido? ut dicam: quaedam animum habent, quaedam tantum animam *); aut sic: quaedam impetum habent, incedunt, transeunt: quaedam solo affixa radicibus aluntur et crescunt. Rursus animalia in quas species seco? aut mortalia sunt aut immortalia. Primum genus Stoicis quibusdam videtur *quid* (τί); sed quare videatur, subjiciam. In rerum, inquiunt, natura quaedam sunt, quaedam non sunt. Et haec autem, quae non sunt, rerum natura complectitur, quae animo succurrunt, tanquam Centauri, Gigantes et quidquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem coepit, quamvis non habeat substantiam." Quae generum dispositio in brevius contracta ita se habet: Genus ceteris superpositum est *quid* seu aliquid, quod aut est, aut non

*) Ita reponendum esse puto pro vulgata lectione *animum.*

est; quod est (ens, ὄν), aut corpus est, aut incorporeum, corporeum rursus aut animans aut inanimum; animans aut animal aut planta, animal denique aut mortale aut immortale. Cui dividendi rationi fundamento est discrimen illud, ex quo aliquid aut perfectius aut minus perfectum est seu vel superiorem vel inferiorem gradum occupat in rerum natura; quam gradationem priusquam longius persequar, loci nonnulli veterum differentiam inter categorias et hanc divisionem clarius obscuriusve prodentes interpretandi sunt. Inprimis hic in disquisitionem vocandus est Plotini locus (Ennead. VI. lib. I. c. 25.), ubi Stoicas categorias hoc modo recenset: *Πρὸς δὲ τοὺς τέτταρας τιθέντας καὶ τετραχῶς διαιροῦντας εἰς ὑποκείμενα καὶ ποιὰ καὶ πῶς ἔχοντα καὶ πρός τί πως ἔχοντα καὶ κοινὸν τὶ ἐπ' αὐτῶν τιθέντας καὶ ἑνὶ γένει περιλαμβάνοντας τὰ πάντα, ὅτι μὲν κοινὸν τὶ καὶ ἐπὶ πάντων ἓν γένος λαμβάνουσι, πολλὰ ἄν τις λέγοι. Καὶ γὰρ ὡς ἀσύνετον αὐτοῖς καὶ ἄλογον καὶ τὸ τὶ τοῦτο καὶ οὐκ ἐφάρμοττον ἀσωμάτοις καὶ σώμασι· καὶ διαφορὰς οὐ καταλελοίπασιν, αἷς τὸ τὶ διαιροῦσι· καὶ τὸ τὶ τοῦτο ἢ ὂν ἢ μὴ ὄν ἐστιν· εἰ μὲν οὖν ὄν, ἕν τι τῶν εἰδῶν· εἰ δὲ μὴ ὄν, ἔστι τὸ ὂν μὴ ὄν.* "Adversus eos, qui quatuor ponunt summa genera et quadruplicem instituunt divisionem in substrata, qualia, aliquo modo se habentia et aliquo modo ad aliquid relata atque commune *aliquid* iis superponunt unoque genere omnia amplectuntur, quod commune

aliquid omnibus, ut unum genus, superponunt, multa aliquis proferat, quod neque conveniens iis sit, et absurdum hoc *aliquid,* neque corporalibus et incorporalibus accommodatum. Neque differentias relinquunt, ex quibus dividant *aliquid.* Praeterea hoc aliquid aut ens est aut non-ens, si igitur ens, unum ex generibus illis est, si non-ens, ens est non-ens." Quod primo hic vituperatur, ipsam categoriarum rationem spectat; quae deinde Stoicis objiciuntur, alio modo vix explicari possunt, nisi si divisionem cum categoriis non convenire reprehendi statuimus, quod neque corporalium et incorporalium, neque entis et non-entis differentia in illas quadret. Si illud *aliquid* aut ens aut non-ens dicitur, hoc aperte e mente Stoicorum disputatum est; quare sequentia eodem modo accipiam, praesertim cum verborum constructio (*εἰ μὲν οὖν*) idem indicet, quamquam accuratior ultimorum verborum enarratio in sequens caput differenda est, ubi de entis et non-entis differentia fusius disseram.

Verum enim vero Sextus Empiricus et Alexander Aphrodisiensis, quam in ente ceteri ponunt differentiam, eam ad *aliquid* referunt, divisionem dico in corpora et incorporalia. Ille enim in libris adv. Math. X. seu adv. Phys. II. §. 234. ita contra Stoicos invehitur: *Βραχὺς δ᾽ ἐστὶ καὶ πρὸς τοὺς ἀπὸ τῆς Στοᾶς λόγος φάσκοντας, τῶν τινῶν τὰ μὲν εἶναι σώματα, τὰ δὲ ἀσώματα· — τὸ γὰρ τὶ*

γενικώτατον τῷ μήτε σῶμά τι δύνασθαι εἶναι μήτε ἀσώματον μήτε σῶμα ἅμα καὶ ἀσώματον etc. Cum *aliquid* diserte hoc loco in corporalia et incorporalia dividatur, consulto entis et non-entis discrimen omissum esse videtur; Alexander quoque Aphrodisiensis ed. Ald. p. 155. idem tradit: *Οὕτω δεικνύοις ἄν, ὅτι μὴ καλῶς τὸ τὶ οἱ ἀπὸ Στοᾶς γένος τοῦ ὄντος τίθενται· εἰ γάρ τί, δῆλον, ὅτι καὶ ὄν, εἰ δὲ ὄν, τὸν τοῦ ὄντος ἀναδέχοιτο ἂν λόγον· ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι νομοθετήσαντες αὐτοῖς τὸ ὂν κατὰ σωμάτων μόνων λέγεσθαι, διαφεύγοιεν ἂν τὸ ἠπορημένον· διὰ τοῦτο γὰρ τὸ τὶ γενικώτερον αὐτοῦ φασιν εἶναι κατηγορούμενον οὐ κατὰ σωμάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀσωμάτων.* "Hac ratione (i. e. notionem unius divisioni isti adaptans) ostenderes, Stoicos male *aliquid* facere genus entis. Etenim si est aliquid, aperte etiam ens est, si vero ens, etiam entis notionem accipiet. Illi autem cum praescribant sibi, ens de solis corporibus dici, difficultatem vitant. Itaque aliquid ente universalius esse praedicatum non de corporibus solum, sed etiam de incorporalibus." Primo quidem obtutu ens atque corporale, non-ens atque incorporale idem esse videtur, quod fieri non potest, cum et a Seneca et a Plutarcho diserte distinguantur. Infitiari quidem nemo potest, hoc etiam loco aliquid dividi in corporale et incorporale; intercedit autem entis notio ita, ut aliquid, quatenus ens sit, aut corporale, aut incorporale habeatur, idem, si non sit ens, i. e. si

vel neutrum sit vel in hanc differentiam non cadat, non-ens vocetur. *) Itaque si Stoici eo difficultatem et repugnantiam fugere dicuntur, quod de solo corpore ens praedicari volunt, tenendum est, incorporalia in solis corporibus spectari, sine his esse non posse. Neque Alexander Aphrodisiensis neque ipse Sextus Empiricus Senecae repugnat, quin omnes et inter se et cum Plotino optime consentiunt. Plotinus enim solum ens in categorias cadere docet, quod aut corpus aut incorporale sit oporteat; quod enim aut neutrum aut utrumque est, non-ens nominatur. Simul jam hoc loco intelligitur, quomodo ens non-ens esse possit; etenim si non-ens vocatur, quod in differentiam corporalium et incorporalium non cadit, id quoque, quod amplectitur utrumque, non-ens est, in quo cum ens contineatur, ens est non-ens. Si ad principium divisionis et gradationem redimus, hoc non-ens, quod nullam habet differentiam, infimum gradum obtinere videtur in rerum natura; deinde incorporalia sequi arbitror, tum ex corporalibus inanimum, tum ex animantibus plantas, tum ex animalibus irrationale, ex rationalibus denique homines, ut ultimum et summum locum occupent Dii.

---

*) Ita rem esse intelligendam, ea affirmant, quae Sextus Emp. disputat adv. Math. XI. 218. seq.

Caput II.

Entis et non-entis discrimen.

Supra in substratis definiendis vidimus, ea constare ex essentia et ente; quam entis notionem omnino diversam esse ab ea, quae in Senecae loco non-entis notioni opponitur, quisque videt. Neque minus, si substrata sola *esse* dicuntur ideoque *entia* appellantur, hunc eiusdem vocabuli sensum alium esse, atque quem hoc loco quaerimus, manifestum est. Praeterea secundum Alexandri locum modo laudatum de corporalibus etiam omnibus vocabulum *ens* usurpatur; quo sensu praeter substrata qualitates quoque et qualia comprehendit. Sin denique *entia* non-entibus opponuntur, latius etiam patet eiusdem vocis ambitus, qui non corporalia tantum, sed etiam incorporalia continet. Jam liquet, si quis hasce diversas eiusdem vocis significationes comparat, posteriorem quamque esse latiorem. *Entis* igitur latissimo sensu accepti et *non-entis* discrimen eo nititur, quod hoc in mente tantum reperitur, illud vero extra mentem etiam in rerum natura; quare si non-ens et ipsum in rerum natura esse dicitur, quia in animo versatur, illud ens quasi bis reperitur cum in mente, tum in eo, unde animo conceptum est. Itaque ens jam satis a non-ente distinctum esse videri potest; verum enim vero cum a Stoicis ad non-ens referatur, quod aliis ens esse videtur, discrimen hoc longius

est persequendum. Plutarchus enim c. 30. de comm. notit. servavit mirum Stoicorum dictum, mutilatum quidem initio, quod tamen restitui possit. Libri initium capitis ita *) exhibent: *Καθόλου μὲν ἄτοπον καὶ παρὰ τὴν ἔννοιάν ἐστιν, εἶναι μέντοι, μὴ ὂν δὲ εἶναι μέν, οὐκ ὄντα δὲ εἶναι, λεγόντων, ἀτοπώτατόν ἐστι, τόδ' ἐπὶ τοῦ πάντος λεγόμενον* etc. Qui locus, ut nunc se habet, cum nullum praebeat sensum, medicina est quaerenda, quae ex iis locis, quos proximo capite attuli, peti potest. Vocibus enim *μὴ ὂν δὲ* adducimur, ut statuamus, praecessisse enuntiationem, quae continuerit et vocabulum *μέν,* respondens particulae *δέ,* et subjectum, oppositum notioni *μὴ ὄν,* quod non aliud, nisi *ὂν* esse potest; ambo vero verba, quae desideramus, e litteris *μεν τοι,* quippe quae sensum turbent, facili negotio erui possunt; particula enim *μὲν* ipsa adest, litterae vero *τοι* in nihil facilius mutantur aliud, quam in *τὸ ὄν,* deinde si *μὴ ὂν εἶναι* bis leguntur (quae enim repetita sunt, facile omitti potuerunt), res et satis absurda enuntiatur et, quae suum teneat locum, ut sequentibus jam additis hoc modo legendum sit: *Καθόλου μὲν ἄτοπον καὶ παρὰ τὴν ἔννοιάν ἐστιν, εἶναι μὲν τὸ ὄν,*

*) Ita quidem apud Wyttenbachium legitur et interpungitur, qui in notis addit: Corrigendum videtur *Κ. μ. α. κ. π. τ. ἔ. ἔ. εἶναι μέν τι, μὴ ὂν δὲ εἶναι· καὶ εἶναι μέν τινα, μὴ ὄντα δὲ εἶναι. Πολλὰ δὲ τοιαῦτα αὐτῶν λεγόντων.* —

μὴ ὂν δὲ εἶναι· μὴ ὂν δὲ εἶναι μέν, οὐκ ὄντα δὲ εἶναι λεγόντων, ἀτοπώτατόν ἐστι τόδ' ἐπὶ τοῦ παντὸς λεγόμενον. Κένον γὰρ ἄπειρον ἔξωθεν τῷ κόσμῳ περιθέντες, οὔτε σῶμα τὸ πᾶν οὔτ' ἀσώματον εἶναι λέγουσιν. Ἕπεται δὲ τούτῳ τὸ μὴ ὂν εἶναι τὸ πᾶν· ὄντα γὰρ μόνα τὰ σώματα καλοῦσιν, ἐπειδὴ ὄντος τὸ ποιεῖν τι καὶ πάσχειν, τὸ δὲ πᾶν οὐκ ὄν ἐστιν· ὥςτε οὔτε τι ποιήσει, οὐδέ τι πείσεται τὸ πᾶν. Ἀλλ' οὐδὲ ἐν τόπῳ ἔσται· σῶμα γὰρ δήπου τὸ ἔπεχον τόπον· οὐ σῶμα δὲ τὸ πᾶν. Καὶ μὴν τὸν αὐτὸν ἐπέχειν τόπον συμβέβηκε τοῦτο τὸ μένον· ὥςτε οὐ μένει τὸ πᾶν· οὐ γὰρ ἐπέχει τόπον. Ἀλλ' οὐδὲ κινεῖται, πρῶτον, ὅτι καὶ κινουμένῳ τόπου δεῖ καὶ χώρας ὑποκειμένης· ἔπειτα, ὅτι τὸ μὲν κινούμενον ἢ αὐτὸ κινεῖν ἢ ὑφ' ἑτέρου πάσχειν πέφυκε· τὸ μὲν οὖν ὑφ' ἑαυτοῦ κινούμενον ἔχει τινὰς νεύσεις ἐξ ἑαυτοῦ καὶ ῥοπὰς κατὰ βάρος καὶ κουφότητα· κουφότητος δὲ καὶ βάρους ἤτοι σχέσεις τινὲς ἢ δυνάμεις εἰσὶν ἢ διαφοραὶ πάντως σώματος· τὸ δ' ἅπαν οὐ σῶμά ἐστιν· ὥςτε ἀνάγκη μήτε βαρὺ μήτε κοῦφον εἶναι τὸ πᾶν, μηδὲ ἔχειν ἐξ ἑαυτοῦ κινήσεως ἀρχήν. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ὑφ' ἑτέρου κινήσεται τὸ πᾶν· ἕτερον γὰρ οὐδέν ἐστι τοῦ παντός· ὥςτε ἀνάγκη λέγειν αὐτοῖς, ὅπερ λέγουσι, μήτε μένον εἶναι τὸ πᾶν μήτε κινούμενον. Ὅλως δὲ ἐπεὶ τὸ λέγειν σῶμα τὸ πᾶν, μὴ δέον ἐστὶ κατὰ αὐτούς· σῶμα δὲ οὐρανὸς καὶ γῆ καὶ ζῶα καὶ φυτὰ καὶ ἄνθρωποι καὶ λίθοι· τὸ μὴ ὂν σῶμα σώματα μέρη ἕξει, καὶ τοῦ μὴ ὄντος μέρη ἔσται ὄντα, καὶ τὸ μὴ βαρὺ χρήσεται βάρεσι μορίοις καὶ κούφοις τὸ μὴ κοῦφον· — [καὶ τὸ

πᾶν ὁμολογοῦσι] μήτε ἔμψυχον εἶναι, μήτε ἄψυχον. — Οὗτοι δὲ τέλειον οὔ φασιν εἶναι τὸ πᾶν· ὡρισμένον γάρ τι τὸ τέλειον· τὸ δὲ πᾶν ὑπὸ ἀπειρίας ἀόριστον· οὐκοῦν ἐστί τι κατ᾽ αὐτούς, ὃ μήτε ἀτελές, μήτε τέλειόν ἐστιν. Ἀλλὰ μὴν οὔτε μέρος ἐστὶ τὸ πᾶν· οὐθὲν γὰρ αὐτοῦ μεῖζον· οὔτε ὅλον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι· τεταγμένου γὰρ τὸ ὅλον κατηγορεῖσθαι, τὸ δὲ πᾶν δι᾽ ἀπειρίαν καὶ ἀόριστον εἶναι καὶ ἄτακτον. Αἴτιον τοίνυν οὔτε τοῦ παντὸς ἕτερόν ἐστι, τῷ μηθὲν εἶναι παρὰ τὸ πᾶν ἕτερον· οὔτε ἄλλου τὸ πᾶν, ἀλλ᾽ οὐδὲ αὑτοῦ· ποιεῖν γὰρ οὐ πέφυκε· τῷ δὲ ποιεῖν τὸ αἴτιον νοεῖται. "In universum quidem absurdum est et notitiis repugnans, esse quidem ens, sed non-ens esse; verum enim vero non-ens esse quidem, sed non esse entia si dicunt, absurdissimum est hoc de universo dictum; vacuum enim infinitum foris mundo circumponentes neque corpus esse universum, neque incorporale. Sequitur ergo, id non-ens esse, entia enim appellant sola corpora, entis esse putantes efficere et pati, universum autem non est ens; quare universum neque quid efficiet neque patietur. Quin et in loco non erit, nam corpus est, quod locum occupat; universum vero corpus non est. Atqui cui accidit, eundem locum continuo occupare, id manet, ergo non manet universum; neque enim locum occupat. Imo neque movetur, primum quidem, quia id, quod movetur, loco ad hoc indiget et spatio substrato, deinde quod movetur, aut se

ipsum movet, aut ab alio secundum naturam suam patitur. Quod ipsum a se movetur, nutationes quasdam et vacillationes habet ratione gravitatis aut levitatis; levitatis vero et gravitatis aut affectiones quaedam sunt aut potentiae aut differentiae omnino corporis, universum vero non est corpus; ergo necesse est, ipsum neque grave esse, neque leve, neque ex se principium motus habere. Atqui ne ab alio quidem movebitur universum; nihil enim est aliud praeter universum. Itaque necessitas eo adigit eos, ut dicant, neque manere neque moveri. Denique cum universum appellare corpus ex ipsorum sententia non opus sit, coelum autem, terra, animalia, plantae, lapides sint corpora, id, quod non est corpus, partes habebit corpora, et non-entis partes erunt entia, et quod grave non est, partibus utetur gravibus, levibus, quod non leve. — Atque fatentur, universum neque animatum esse, neque inanimatum. — Illi universum negant esse perfectum; quod enim perfectum sit, id definitum, universum vero ob infinitatem non definitum; est ergo secundum illos aliquid neque perfectum neque imperfectum. Quin etiam neque pars erit universum, cum nihil sit eo majus, neque totum, hoc enim praedicari ajunt de ordinato, universum vero ob infinitatem neque definitum, neque ordinatum esse. Proinde neque universi causa est aliud, cum nihil extra universum sit, neque universum alius rei causa neque sui ipsius, quippe

ut efficiat, natura eius non fert, efficiendo autem causa intelligitur."

Plotinus l. l. idem Stoicis paradoxon tribuit, quod Plutarchus, idque etiam distinctius; etenim divisionem categoriarum rationi non convenire probare studens, *καὶ τὸ τὶ τοῦτο*, inquit, *ἢ ὂν ἢ μὴ ὄν ἐστιν· εἰ μὲν οὖν ὄν, ἕν τι τῶν εἰδῶν· εἰ δὲ μὴ ὄν, ἔστι τὸ ὂν μὴ ὄν.* "Aliquid est aut ens aut non-ens; si igitur ens est, unum efficit generum, si vero non-ens, ens est non-ens." Cum antea de categoriis, quas dixi, sermo fuerit, *τὰ εἴδη* nihil aliud indicare possunt, nisi ipsas, in quas quod non cadit, non-ens est. Ens quidem latissimo sensu, ut non-ens, corporalia et incorporalia comprehendere videtur, alia autem ratione; non-ens enim nullam ullius differentiae rationem habet, ens vero corpus est idque substratum, quod incorporalia quidem in se habet, ab iis autem diversum est; *) qua sola ratione secundum Alexandrum Aphrodisiensem repugnantias effugiunt. Si jam notiones quaerimus hisce primis generibus proprias, duae se praebent ceteris latiores, *totum* et *universum*, quorum hoc disertis verbis ad non-ens refertur, illud ab ente non diversum esse videtur. Praeter illa, quae l. l. de harum notionum

*) Ens non-enti oppositum, ne cum ente sola corpora indicante commutaretur, etiam *ἄλλο τι* vocabant *ἢ μὴ ὄν*. Cf. Sext. Empir. XI. 221.

discrimine dicta sunt, idem Plutarchus de plac. philos. II. 1. haec profert: *Οἱ Στωϊκοὶ διαφέρειν, [φασί], τὸ πᾶν καὶ τὸ ὅλον, πᾶν μὲν γὰρ εἶναι τὸ σὺν κενῷ ἄπειρον, ὅλον δὲ χωρὶς τοῦ κενοῦ τὸν κόσμον.* (Cf. Diog. Laërt. VII. 143.) *Totius* igitur notio mundum finitum et ordinatum indicat, ut secundae categoriae fuisse possit, *universum* vero infinitum et inordinatum in categorias cadere non potest, ideoque pro non-ente habetur. Omnes ceterae notiones entis indolem prae se ferentes, jam hoc ipso arctiores, aut corporalia aut incorporalia indicant et ad genera referendae sunt iis supposita. Universum esse non-ens Plutarchus fusius demonstravit, quod generum differentias non admittat. Primo enim corporalium et incorporalium differentia, cui in unaquaque categoriarum occurrimus, ab universo excluditur; deinde mansio et motio, tam effectio quam passio, quae tum substratorum sunt, tum eorum, quae aliquo modo se habent, ei non conceduntur; causa denique et effectus, quae sunt ad aliquid aliquo modo relata, non minus non ad universum pertinere dicuntur, quod neque qualitatum et substratorum differentias admittat. Ipsum igitur ens seu totum, cum in universo contineatur, sibi constantes esse non-ens Stoici contenderunt. At a Seneca non-enti vindicantur omnia, quae animo succurrunt, quae falsa cogitatione efficta sunt neque substantiam habent; num eiusdem modi est *universum?* Sane; etenim

etsi non omnino eiusdem modi, atque universum ésse dicuntur exempla non-entis a Seneca allata, ita tamen definiuntur, ut ad idem genus relata esse possint. Universum enim non falsa quidem cogitatione formatum perhibent, *sola* vero cogitatione effictum, neque ullam substantiam habere contenderunt. Plutarchus enim capitis allati summam hoc modo repetit: *Τό γε ἀληθὲς ὂν μὴ εἶναι μήτε ὑπάρχειν, ἀλλὰ καταλαμβάνεσθαι, καὶ καταληπτὸν εἶναι καὶ πιστόν, ᾧ τῆς οὐσίας τοῦ ὄντος μὴ μέτεστι, πῶς οὖν οὐ πᾶσαν ἀτυχίαν ὑπερβέβληκεν;* "At enim verum ens non esse neque exsistere, sed *percipi* tantum, atque *comprehensibile* et fide dignum esse, quod essentiam entis non participet, quomodo non est quovis absurdo absurdius?" Communis igitur non-entis notio, ad quam etiam universum pertinet, est, quod nullam habet entis essensiam, quam Seneca substantiam vocat, ex qua animo conceptum sit, sed sola mente percipiatur *κατὰ τὴν ἀπὸ τῶν ἐναργῶν μετάβασιν.* (Sext. IX. 393. Diog. VII. 51. Cf. introd. II. p. 29.) Idem valet de singulis non-entibus, quae praeterea *falsa* cogitatione formata esse dicuntur; quod quidem cum apud Senecam idem sit ac nullam habere substantiam, de ipso universo praedicandum esse videtur. Eo autem, quod nullam habent substantiam, ex qua expressa sint, non-entia a ceteris cogitatis distinguuntur, quae eadem ratione i. e. *κατὰ μετάβασιν* cogitantur. *Universum* a ceteris ad non-

ens pertinentibus eo differre videtur, quod latius patet, quo etiam modo *totum* a singulis entibus discrepat. A non-ente, quod quidem tam late patere ostendi, ut ens etiam ab eo comprehendatur, initium huius disquisitionis cepisse videntur, ut ab universaliore quaque notione ad arctiorem semper pervenerint; quam ob causam Simplicius Stoicis objicere potuit, eos ex non-ente deducere ens (*ἐκ μὴ ὄντος τὰ ὄντα παράγεσθαι*, f. 55. *E.*). Quod a Stoicis factum esse Sextus quoque ostendit, ubi docendi facultatem sibimet ipsam repugnare demonstraturus ita disputat: (XI. 221. adv. Math.) *Ἐπεί τοι, εἴπερ τὸ μὴ ὂν διδάσκεται, ἤτοι καθὸ μὴ ὄν ἐστι, διδάσκεται ἢ κατ᾽ ἄλλο τι· καθὸ μὲν οὖν μὴ ὄν ἐστιν, οὐ διδάσκεται· εἰ γὰρ τὸ μὴ ὄν, καθὸ μὴ ὄν ἐστι, διδάσκεται, οὐδὲν ὂν διδαχθήσεται· ὅπερ ἄτοπον. Καὶ μὴν οὐδὲ κατ᾽ ἄλλο τι· τὸ γὰρ ἄλλο τι ἔστι, τὸ δὲ μὴ ὂν οὐκ ἔστιν.* Ex quo loco non minus apparet, qua ratione ens ex non-ente sit deductum, id quod mirari jam desinemus nobiscum reputantes novissimam philosophorum disciplinam, Hegelii dico, qui *esse absolutum* idem putet ac nihil atque ex hoc *nihilo* omnia deducat.

CAPUT III.

Corporis et incorporei discrimen.

Corpus, quod ens etiam vocatur, a Stoicis definitur (Diog. VII. 135.) *τὸ τριχῇ διαστατὸν εἰς μῆκος, εἰς πλάτος, εἰς βάθος· τοῦτο δὲ στερεὸν σῶμα καλεῖται.*

Cui definitioni Plotinus et Sextus addunt *μετὰ ἀντιτυπίας,* quod in Stoicam corporis notionem non magis, quam vox *στερεὸν* (solidum) quadrare videtur; quippe quae latius pateat, quam vulgaris. Nam supra vidimus, non substrata tantum eorumque materiam corpora putari, sed etiam ens illud seu spiritum, qui materiam permeans et continens substrata efficiat, omnes denique corporum qualitates. Itaque quatuor saltem corporum genera inter se diversa a Stoicis posita sunt, substrata, qualitates, materia et spiritus, quorum praeter substrata in natura per se nulla occurrunt, sed omnia in substratis latentia mente tantum discernuntur. Definitio autem, quam attuli, haec genera non omnia amplecti potest, sed quod apud Plotinum et Sextum additur *μετ᾽ ἀντιτυπίας,* in Diogenis definitione vocabulo *στερεὸν* expressum, eam ad substrata restringit; quare definitio quaerenda est et suo quaeque generi propria et communis, quae omnia genera amplectatur. Illas diversas eiusdem notionis definitiones a Plotino obscure indicatas Plutarchus ex parte servavit de Philos. Plac. IV. c. 20., ubi de variis *vocis* (*φωνῆς*) definiendae rationibus disserens haec profert: *πᾶν τὸ δρώμενον ἢ καὶ ποιοῦν σῶμα,* idem deinde copiosius exprimit: *ἔτι πᾶν τὸ κινοῦν καὶ ἐνοχλοῦν σῶμά ἐστιν* atque postea *ἔτι πᾶν τὸ κινούμενον σῶμά ἐστιν,* in quibus priora entis, posteriora essentiae corpus definiunt. Qualitates, quatenus ex ente originem ducunt,

spiritus esse dicuntur de Stoic. repugn. c. 43.: *Καίτοι πανταχοῦ τὴν ὕλην ἀργὸν ἐξ ἑαυτῆς καὶ ἀκίνητον ὑποκεῖσθαι ταῖς ποιότησιν ἀποφαίνουσι, τὰς δὲ ποιότητας πνεύματα οὔσας καὶ τόνους ἀερώδεις.* Sed qualitates quoque continent essentiam, quare *οὐσίας διαφοραὶ* vocantur, ut duplex sit harum, sicut substratorum ratio, quamquam quomodo qualitatis compositae definitio ad corpus pertineat, nusquam traditur. Itaque non quatuor tantum, sed sex diversae corporum definitiones a Stoicis positae esse videntur, substrati, eius partium, qualitatis eiusque partium, quae in categoriis satis accurate expositae sunt neque huc pertinent, quo loco corporum spectanda est divisio in rerum natura repertorum, quam postea persequemur. Ex iis, quae huc usque disputavi, manifestum est, corpus aut efficere aut pati aliquid, quod utrumque cum motionis notione comprehendantur, quod motionem admittit, corpus sit necesse est. Corpus autem etiam manere potest, quare ei et ipsa mansio concedenda est; corpus igitur est, quodcunque motionis et mansionis particeps est. Corpus praeterea ens dicitur ideoque *est* idque duplici sensu; ens enim primo corporea et incorporea amplectens non-enti opponitur, quam differentiam capite superiore exposui, deinde arctius acceptum sola corpora significans incorporeo contrarium est. Utroque sensu vocabulum ens de solis corporibus praedicari potest. Cor-

pora enim, quatenus *sunt* et entia vocantur, nonentibus opponuntur, quatenus vero *corporea* sunt, incorporeis, quae hac ratione quamquam a nonentibus diversa, neque tamen entia sunt, sed in entibus tantum seu corporibus ponuntur. Definitionem incorporei disertis quidem verbis prolatam nusquam reperi, differentiae vero undique collectae si in unum conjunguntur, eam nobis suppeditant. Si jam corporis proprium est, mansionem et motionem participare, hoc de contrariis dici non potest; motio etiam diserte incorporeis derogatur apud Sextum Empiricum (VIII. 404. adv. Math.): *ἀσώματα οὔτε ποιεῖν τι πέφυκεν οὔτε πάσχειν.* Notiones vero cum sola negatione definiri non possint, quod de incorporeis affirmetur, quaerendum est. Diogenes Laërtius postquam visiones divisit in sensibiles et non sensibiles (VII. 51.), *οὐκ αἰσθητικαὶ* [*φαντασίαι*], inquit, [*εἰσὶν*] *αἱ διὰ τῆς διανοίας* [*λαμβανόμεναι*], *καθάπερ τῶν ἀσωμάτων καὶ τῶν ἄλλων τῷ λόγῳ λαμβανομένων.* Visiones sensibiles sunt corporum, quae cum tangi tum omnino sensibus percipi possunt, id quod incorporalibus abjudicandum est: *τὸ δὲ ἀσώματον,* inquit, (Sextus adv. Math. IX. 281.) *ἀθιγὲς ὂν οὐ παρέχει αὐτὸ πρὸς ἀφαίρεσιν καὶ χωρισμόν.* Quod cum de nonentibus etiam valeat, quaerendum est, quid inter utraque intersit; quae enim *ἄλλα τῷ λόγῳ λαμβανόμενα* vocantur, non alia sunt nisi non-

entia *). Si apud Sextum (Pyrrh. Hypoth. III. 5. 46.) *τὸ ἀσώματον* vocatur *αὐτόθεν νοητόν*, non-entia *οὐκ αὐτόθεν νοητὰ* esse, sequitur. At quid est *αὐτόθεν νοητόν?* Sponte cogitatum esse videtur, seu quod ut cogitemus, natura nos adducit. Praeterea si non-entia nullam habeant substantiam falsa cogitatione formata, hoc de incorporalibus dici nequit, quae ad substantiam pertineant, etsi non de ipsa substantia concipiantur; etenim in entibus tantum sunt, non ipsa entia. Neque tamen ad cogitandi rationem incorporalia omnia eodem modo percipiuntur. Etenim Sextus (X. 218.) incorporalia enumerat: *Οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Στοᾶς φιλόσοφοι ἀσώματον [τὸν χρόνον] ᾠήθησαν ὑπάρχειν· τῶν γάρ τινῶν φασι τὰ μὲν εἶναι σώματα, τὰ δὲ ἀσώματα· τῶν δὲ ἀσωμάτων τέσσαρα εἴδη καταριθμοῦνται, ὡς λεκτὸν καὶ κενὸν καὶ τόπον καὶ χρόνον· ἐξ οὗ δῆλον γίνεται, ὅτι πρὸς τὸ ἀσώματον ὑπολαμβάνειν τὸν χρόνον· ἔτι καθ' αὑτό τι νοούμενον πρᾶγμα δοξάζουσι τοῦτον·* ubi si tempus vocatur *καθ' αὑτό τι νοούμενον*, hoc neque idem esse videtur, quod *αὐτόθεν νοητόν*, neque ad omnia pertinet, sed tempori proprium est, quo ab aliis distinguatur; quare temporis definitio §. 227. ita repetitur: *ἐκεῖνοι μὲν γάρ, ὡς λέλεκται, ἀσώματόν τι καθ' ἑαυτὸ νοούμενον*

*) Eodem redit, quod incorporalia et non-entia *κατὰ μετάβασιν* cogitata esse dicuntur. Cf. cap. anteced. et Diog. VII. 51—53.

ὑπεστήσαντο τὸν χρόνον. At etiamsi non omnium incorporalium commune est, quod per se cogitantur, uni tamen e ceteris praeter tempus tribui potest, locum dico, qui plerumque una cum tempore profertur, ut incorporalia secundum categorias aut per se aut secundum differentiam cogitentur. Praeterea locus cum magis etiam quam tempus substratum sit oporteat, non secus ac per se cogitatus esse potest. Appellatum vero ubique secundum differentiam cogitari, non minus e categoriarum disquisitione liquet; cuiusmodi autem vacuum sit, pro certo affirmare non ausim, cum enim locus, qui mundo substratus est, vacui pars esse videatur, hoc non minus per se exsistere, cogitare fere cogimur; Epicurus saltem id ita constituit. Attamen cum pro singulari incorporalium specie a loco diversa a Stoicis habeatur, vix eadem ratione cogitatum iis videri potuit, praesertim cum extra mundum positum huic minus certe substratum sit. Itaque res in dubio relinquenda est, quamquam posterior sententia mihi magis arridet. Aliam differentiam addit Chrysippus apud Stobaeum I. 19. 4. p. 390. Καθάπερ δὲ τὸ σωματικόν, aiens, πεπερασμένον εἶναι, οὕτως τὸ ἀσώματον ἄπειρον; quod singulis incorporalium formis minus convenire videtur. Locus enim cum corporis sit finiti, et ipse finitus esse videtur, atque appellatum quomodo infinitum vocari possit, intelligere equidem non possum, nisi forte vocabulum ἄπειρον

hic aliam habet significationem, ut non *infinitum*, sed *indefinitum* i. e. nullis certis finibus circumscriptum indicet; certe locus et appellatum non eodem sensu, quo tempus et vacuum, infinita dici possunt; tempus enim et vacuum vere infinita sunt. Itaque incorporalium cum distinctorum et ab ente et a non-ente tum satis per se definitorum genera jam singula in disquisitionem vocemus. Ad quae priusquam transeam cum definienda tum subdividenda, breviter repetere volui principium divisionis, ex quo non-entia omnino *non esse*, incorporalia et ipsa non esse quidem, sed *subsistere* tamen (ὑφιστάναι) et *exsistere* (ὑπάρχειν), entia denique sola *esse* dicuntur.

Caput IV.

Incorporeorum subdivisio.

Incorporeorum, quae omnia vel subsistere vel exsistere putantur, alia per se, alia in aliis seu secundum differentias exsistunt, quorum cum haec illis ad subsistentiam indigeant, posterius explicanda sunt. Non loci tantum et temporis, quae per se exsistentia ipsis corporibus substrata sunt, sed etiam corporalium substratorum commune est, quod in infinitum dissecari possunt (Sext. Emp. X. 142.). Ex hisce substratis incorporalibus, quae quomodo a corporalibus differant dictum est,

primo nobis tractandus est locus, qui et ubicunque, si una cum tempore recensetur, prius profertur, et apud Sextum, qui maxime Stoicos sequitur, ante illud ponitur. Uberiorem loci descriptionem Chrysippo debemus, neque integram tamen, sed a Stobaeo excerptam in Eclog. Physic. ed. Heer. I. 19. 4. p. 390. *Τόπον δ' εἶναι ὁ Χρύσιππος ἀπεφαίνετο τὸ κατεχόμενον δι' ὅλου ὑπὸ ὄντος ἢ τὸ οἷον κατέχεσθαι ὑπὸ ὄντος καὶ δι' ὅλου κατεχόμενον εἴτε ὑπό τινος εἴτε ὑπὸ τινῶν. Ἐὰν δὲ οἷόν τε κατέχεσθαι ὑπὸ ὄντος τὶ μὲν κατέχεται, τὶ δὲ μή, τὸ ὅλον κενὸν ἔσται οὔτε τόπος, ἕτερον δέ τι οὐκ ὠνομασμένον. Τὸ μὲν γὰρ κενὸν τοῖς κενοῖς ἀγγείοις λέγεσθαι παραπλησίως, τὸν δὲ τόπον τοῖς πλήρεσι. Χώραν δὲ πότερον τὸ μεῖζον οἷόν τε κατέχεσθαι ὑπὸ ὄντος καὶ οἷον μεῖζον ἀγγεῖον σώματος, ἢ τὸ χωροῦν μεῖζον σῶμα; Τὸ μὲν οὖν κενὸν ἄπειρον εἶναι λέγεσθαι· τὸ γὰρ ἐκτὸς τοῦ κόσμου τοιοῦτ' εἶναι· τὸν δὲ τόπον πεπερασμένον διὰ τὸ μηδὲν σῶμα ἄπειρον εἶναι. Καθάπερ δὲ τὸ σωματικὸν πεπερασμένον εἶναι, οὕτως τὸ ἀσώματον ἄπειρον, ὅ τε γὰρ χρόνος ἄπειρος καὶ τὸ κενόν. Ὥςπερ γὰρ τὸ μηδὲν οὐδέν ἐστι πέρας, οὕτως καὶ τοῦ μηδενός, οἷόν ἐστι τὸ κενόν· κατὰ γὰρ τὴν αὐτοῦ ὑπόστασιν ἄπειρόν ἐστι· περατοῦται δ' αὖ τοῦτο ἐκπληρούμενον· τοῦ δὲ πληροῦντος ἀρθέντος, οὐκ ἔστιν αὐτοῦ νοῆσαι πέρας.* "Chrysippus locum definivit id, quod ab ente omnino occupatum est vel quod et occupari potest ab ente et omnino occupatum est seu ab aliquo seu ab aliquibus. Si autem eius,

quod occupari potest ab ente, aliud occupatur, aliud non, totum hoc vacuum neque vacuum neque locus erit, sed aliud quoddam nomine carens. Vacuum enim ad similitudinem vasorum vacuorum, locum vero ad similitudinem plenorum dici putat. Regio autem num majus aliquod, quod ab ente occupari possit neque omnino occupetur, an majoris corporis sit receptaculum, dubitat. Vacuum esse infinitum dici, eiusmodi enim esse, quod extra mundum sit, locum vero finitum, quod nullum corpus sit infinitum. Quemadmodum corporale sit finitum, ita incorporale infinitum esse, tempus enim et vacuum esse infinita. Nam ut nihil nullus sit finis, ita etiam nihili, quale sit vacuum, nullum esse finem; quod quidem infinitum est secundum subsistentiam suam; finitur, quatenus repletum est, sublato enim eo, quod replet, finis eius cogitari non potest." Primo quidem obtutu Chrysippus sibimet ipse minus consentire videtur; incorporalia enim infinita esse professus, locum pro finito habet. Etenim si incorporalia infinita sunt i. e. nullos fines habent, locus quoque, etsi corpore, quod continet, finitur, per se tamen nullos fines habere putandus est, quamquam tempus et vacuum certe rectius infinita vocantur. Vacuum, cuius definitio simul se praebet, cum nullum ens contineat, pro nihilo habetur et subsistere tantum (ὑφιστάναι) dicitur. Loco exsistentiam (ὕπαρξιν) tributam esse, hic non diserte additur, ex analogia autem

suspicor *) Loco et vacuo tribuuntur praeterea dimensiones tres longitudinis, latitudinis et altitudinis, quae quantum video in vacuo non accuratius descriptae sunt, in loco autem gignunt notiones *πρόσω* et *ὀπίσω*, *δεξιὸν* et *ἀριστερόν*, *ἄνω* et *κάτω*, quae omnes ad medium quoddam referuntur **).

Jam ad *tempus* pervenimus, quod cum loco corporibus substratum esse contendi; quae quomodo et cohaereant et inter se diversa sint, docendum est. Fusiorem temporis descriptionem rursus Chrysippo debemus ab eodem Stobaeo Ecl. I. 9. 42. p. 260. servatam: *Ὁ δὲ Χρύσιππος εἶναι χρόνον κινήσεως διάστημα, καθ᾽ ὅ ποτε λέγεται μέτρον τάχους τε καὶ βραδύτητος, ἢ τὸ παρακολουθοῦν διάστημα τῇ τοῦ κόσμου κινήσει· καὶ κατὰ μὲν τὸν χρόνον κινεῖσθαι τε ἕκαστα καὶ εἶναι, εἰ μὴ ἄρα διττὸς λέγεται ὁ χρόνος, καθάπερ ἥ τε γῆ καὶ ἡ θάλασσα καὶ τὸ κενόν, τά τε ὅλα καὶ τὰ μέρη αὐτῶν. Ὥσπερ δὲ τὸ κενὸν πᾶν ἄπειρον εἶναι* ***) *πάντῃ, καὶ τὸν χρόνον ἄπειρον εἶναι ἐφ᾽ ἑκάτερα· καὶ γὰρ τὸν παρεληλυθότα καὶ τὸν μέλλοντα ἄπειρον εἶναι. Ἐκφανέστατα δὲ τοῦτο λέγει, ὅτι οὐθ᾽ εἷς ὅλος ἐνίσταται*

*) Partibus loci recognitis Sextus (adv. Math. X. 12.) dicit: *Καὶ ἄλλα δὲ εἰώθασι τοιαῦτα οἱ Δογματικοὶ τῶν φιλοσόφων διεξέρχεσθαι πρὸς τὸ καταστῆσαι τὴν ὕπαρξιν τοῦ τόπου.*

**) Idem ex iisdem deprompsit X. 10. *εἴπερ οὖν ἔστιν ἄνω καὶ κάτω καὶ εἰς τὰ δεξιὰ καὶ τὰ ἀριστερὰ καὶ πρόσω καὶ ὀπίσω, ἔστι τις τόπος.* Cf. ibid. X. 78. etc.

***) Ita codd. Heeren *εἶναι* mutavit in *ἐστι.*

*χρόνος· ἐπεὶ γὰρ εἰς ἄπειρον ἡ τομὴ τῶν συνεχόντων ἐστί, κατὰ τὴν διαίρεσιν ταύτην καὶ πᾶς χρόνος εἰς ἄπειρον ἔχει τὴν τομήν· ὥςτε μήθ' ἕνα κατ' ἀπαρτισμὸν ἐνεστάναι χρόνον, ἀλλὰ κατὰ πλάτος λέγεσθαι. Μόνον δὲ ὑπάρχειν φησὶ τὸν ἐνεστῶτα, τὸν δὲ παρῳχημένον καὶ τὸν μέλλοντα ὑφιστάναι**) *μέν, ὑπάρχειν δὲ οὐδαμῶς.* "Chrysippus tempus dixit esse motionis intervallum (dimensionem), (ex quo *aliquando* dicitur celeritatis et tarditatis mensura;) seu intervallum sequens mundi motionem; atque secundum tempus omnia et moveri et esse, nisi forte duplex dicitur tempus, ut terra et mare et vacuum, tum ipsa tota, tum eorum partes. Quemadmodum autem vacuum universum sit omnino infinitum, sic etiam tempus utrinque esse infinitum, nam et praeteritum et futurum esse infinitum. Illud autem affirmat planissime, tempus non integrum esse praesens. Cum enim in infinitum secentur continua, secundum hanc divisionem tempus quoque omne sectionem in infinitum habet, ut tempus non unum simul praesens sit, sed latius dicatur. *Exsistere* vero solum dicit praesens, praeteritum autem et futurum *subsistere* quidem, minime vero exsistere." Si secundum tempus

*) Ita restitui ex Plutarcho, qui hunc Chrysippi locum et ipse excerpsit de comm. notit. c. 41.; codd. hic exhibent *ἐφιστάναι*, sed *ὑπάρχειν* et *ὑφιστάναι* ubique inter se opponuntur.

omnia et moveri et esse dicuntur, cum hoc *esse* de solis substratis praedicari possit, recte et ipsum tempus habuisse mihi videor substratum; quippe quod simul motionem admittat, qua ipsa tempus agnoscatur. Si deinde tempus a Stoicis duplex positum esse dicitur, ita differentia temporis aut exsistentis aut subsistentis spectari videtur, ut in illo omnia sint, in hoc omnia moveantur. Tempus porro est aut praeteritum aut futurum aut denique praesens, quorum ultimum proprie punctum modo vel finis praeteriti et futuri, si vero durans putatur, partim praeteritum, partim futurum est. Talis igitur est temporis divisio, quoad omnia in eo sunt; ex quo cum motio quoque et actio cernatur, harum etiam divisio ad tempus pertinet; omnia enim ad motionem aut facta sunt aut fient aut fiunt; quae autem fiunt, ex parte jam facta sunt, ex parte adhuc instant vel fient; quorum quodque in quoque tempore cogitari potest; in praeterito enim et futuro non minus quam in praesente aliquid aut factum esse aut fieri aut faciendum esse cogitatur *). Neminem, opinor, jam fugiet mira quaedam loci et temporis ad divisionem

*) Hanc actionum divisionem apud Plutarchum in libro de commun. not. c. 42. cognoscas; ex quo, cum Plutarchus ubique suam sententiam immisceat, haec tantum adscribo: Ὡς γὰρ τοῦ ἐνεστῶτος χρόνου τὸ μὲν παρῳχῆσθαι, τὸ δὲ μέλλειν λέγουσιν, οὕτω τοῦ πραττομένου τὸ μὲν πεπράχθαι, τὸ δὲ πραχθήσεσθαι. Utriusque divisionis connexus

similitudo, quae enim praesentia sunt, in medio posita esse cogitantur; futura anterioribus quodam modo respondent, praeterita posterioribus; huc usque optime quadrat comparatio, minus autem apparet similitudo, si inferiora confero iis, quae fient, superiora iis, quae facta sunt, dextra denique et sinistra iis, quae fiunt, quamquam hic quoque non omnino nos deficit linguae analogia.

Jam *vacuum* fusius explicandum erat; cuius definitio cum in tempore et loco definiendo illustrata sit, hic non persequenda esse videtur; nulli enim reperiuntur loci, qui aliquid addant iis, quae dicta sunt. Sufficit igitur hoc in brevius contrahere. Vacuum est, quod ab ente occupari potest, neque tamen occupatur, quodque ubique subsistit tantum et nihil est; loco similis est eo, quod ab ente occupari potest, tempori, quod in omnes partes infinitum habetur, ab utroque autem distinguitur eo, quod non per se esse cogitatur, sed secundum differentiam est, cogitari enim non posse videtur, nisi quoad differt a loco.

Itaque ad *appellatum* me convertam, quod et ipsum secundum differentiam cogitatum sit, necesse est; corporalibus enim iisque mutationis participibus eget, in quibus conspiciatur. Appel-

---

satis notus est e temporum ratione apud grammaticos obvia. Cf. Ramshornii gram. maj. §. 50. Harris Hermes. I. c. 7.

lati definitionem saepius obviam ubique eandem depromamus e Sexti Empirici libro VIII. adv. Math. §. 70. *Λεκτὸν δὲ ὑπάρχειν φασὶ τὸ κατὰ λογικὴν φαντασίαν ὑφιστάμενον· λογικὴν δὲ εἶναι φαντασίαν, καθ᾽ ἣν τὸ φαντασθὲν ἐστι λόγῳ παραστῆσαι.* "Appellatum esse dicunt, quod secundum rationalem visionem subsistit; rationalem vero visionem esse, ex qua visum ratione exhibendum est." Appellatum igitur non in mente versatur, sed in rebus, quare Johannes Grammaticus id vocabulo *πρᾶγμα* reddidit, appellati autem nomen accepit, quia quod ratione concipitur, oratione exprimendum est; quod inest his Sexti verbis (§. 80.): *πᾶν λεκτὸν λέγεσθαι δεῖ·* ratio enim et oratio in lingua Graeca eodem vocabulo (*λόγου*) significatae arctissime cohaerere putantur. Exempla et divisionem definitioni addit Diogenes VII. 63. *Φασὶ δὲ τὸ λεκτὸν εἶναι τὸ κατὰ φαντασίαν λογικὴν ὑφιστάμενον· τῶν δὲ λεκτῶν τὰ μὲν λέγουσιν εἶναι αὐτοτελῆ οἱ Στωϊκοί, τὰ δ᾽ ἐλλιπῆ· ἐλλιπῆ μὲν οὖν ἐστι τὰ ἀναπάρτιστον ἔχοντα τὴν ἐκφοράν, οἷον γράφει· ἐπιζητοῦμεν γάρ τίς· αὐτοτελῆ δ᾽ ἐστὶ τὰ ἀπαρτισμένην ἔχοντα ἐκφοράν, οἷον γράφει Σωκράτης. Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἐλλιπέσι λεκτοῖς τέτακται τὰ κατηγορήματα· ἐν δὲ τοῖς αὐτοτελέσι τὰ ἀξιώματα καὶ οἱ συλλογισμοὶ καὶ τὰ ἐρωτήματα καὶ τὰ πύσματα.* "Dicunt appellatum esse, quod secundum rationalem visionem subsistat, appellatorum alia dicunt esse perfecta, alia manca; manca sunt, quae indefinitam habent

dictionem, ut scribit; quaerimus enim, quis? perfecta vero, quae definitam exprimunt dictionem, ut scribit Socrates. Ad imperfecta appellata pertinent praedicationes, ad perfecta enuntiationes et conclusiones et quaestiones et percunctationes." Quae hoc loco profertur appellatorum divisio, non huc pertinet, sed loci logici est de rebus inscripti. Hic cum appellata non, quatenus menti obversantur, sed in rebus ipsis spectentur, huius loci ea appellatorum diversitas esse videtur, ex qua aut motionem aut effectionem indicant; quarum utramque definitio ostendit. Ubique praeterea in hac rerum divisione ea genera in disquisitionem vocata esse videntur, quae aut omnibus aut pluribus saltem categoriis communia sunt; locus enim et tempus aperte ad omnes pertinent; appellati divisio in motionem et affectionem tertiae quidem propria est, in ceteris tamen non minus agnoscitur. Desunt quidem loci, qui hanc disputationem et longius persequantur et huic parti vindicent; exstat autem locus, qui de motione saltem, quod dixi, probet, apud Sextum Emp. adv. Math. X. 121. *Πᾶσα κίνησις τριῶν τινων ἔχεται, καθάπερ σωμάτων τε καὶ τόπων καὶ χρόνων· σωμάτων μὲν τῶν κινουμένων, τόπων δὲ τῶν, ἐν οἷς ἡ κίνησις γίνεται, χρόνων δὲ τῶν, καθ' οὓς ἡ κίνησις γίνεται.* "Omnis motio tribus rebus indiget, corporibus, locis et temporibus, corporibus, quae moveantur ipsa, locis, in quibus moveantur, temporibus denique, secundum quae

moveantur." Quo quidem loco rerum connexus ita explicatur, ut intelligi possit, quomodo ex corporum diversitate etiam motiones diversae sint, quas quidem corporum generibus respondere, in tertia categoria ostendi. Easdem vel similes differentias affectio, quae et mansio (*μονή*) vocatur, continere videtur. Praeterea elucet, appellata indigere loco et tempore, ex iisque et ipsa admittere discrimen. Ex temporis saltem discrimine appellatum aut exsistit aut subsistit tantum; quam differentiam exposuit Chrysippus apud Stobaeum (l. l. I. 9. 42. p. 260.): *Μόνον δὲ ὑπάρχειν φησὶ τὸν ἐνεστῶτα, τὸν δὲ παρῳχημένον καὶ τὸν μέλλοντα ὑφιστάναι μέν, ὑπάρχειν δὲ οὐδαμῶς· εἴπερ* *) *ὡς καὶ κατηγορήματα ὑπάρχειν λέγεται μόνα τὰ συμβεβηκότα, οἷον τὸ περιπατεῖν ὑπάρχει μοι, ὅτε περιπατῶ, ὅτε δὲ κατακέκλιμαι ἢ κάθημαι, οὐχ ὑπάρχει.* "Solum praesens tempus exsistere dicit, praeteritum vero et futurum, subsistere quidem, exsistere autem nullo modo; siquidem, ut etiam praedicationes, exsistere dicuntur sola, quae accidunt, sicut ambulare mihi accidit, cum ambulo, cum vero resupinus jaceo vel sedeo, non accidit." Quod de praedicationibus hic dicitur, de omnibus valet appellatis, quare recte in definitione appellata *subsistere* tantum dicuntur, quae si cui accidunt, etiam *exsistunt*,

---

*) Codd. exhibent *εἰσιν*. Cant. et Heeren scripserunt *εἰ μὴ*, cui conjecturae repugnat v. *καί*.

alioquin enim visionem movere non possunt. Sextus enim Empiricus adv. Math. VIII. 85. ita notionem exsistendi definit: *Ἐρωτώμενοι δὲ [οἱ Στωϊκοὶ] τί ἐστι τὸ ὕπαρχον, λέγουσι, τὸ καταληπτικὴν κινοῦν φαντασίαν.* Itaque jam omnia bene cohaerere videntur; etenim quemadmodum vacuum loco, ita appellatum tempori simile est, ut appellati discrimen simili rationi ad vacuum pertineat ac temporis differentia ad locum. Locus enim totus exsistit, vacuum ubique subsistit tantum; tempus si praesens est, exsistit, praeteritum autem et futurum subsistit, appellatum eodem modo si in tempus praesens cadit, exsistit, si in praeteritum vel futurum non nisi subsistere dicitur. Locus contra et tempus per se cogitata aut pro substratis aut pro qualibus habenda sunt; vacuum et appellatum secundum differentiam cogitata aut in aliquo modo se habentia cadunt aut in ea, quae ad aliquid referuntur. At ne quam difficultatem vitare videar, vacuum qua ratione aliquo modo se habere putetur, vix intelligi posse concedendum est; cuius tametsi logicam indolem ceteris multo obscuriorem esse apparet, ex ipsius indole equidem id potius pro relato haberem.

Caput V.

Corporum subdivisio.

Corpora apud Senecam dicuntur aut animantia aut inanimantia esse; animantia rursus aut impe-

tum habere aut solo affixa crescere; animalia denique aut mortalia aut immortalia. Quam divisionem cum etiam Aristotelis esse dicat, ne quis a Stoica omnino diversam putet, adscribendam esse duxi rerum divisionem certe a Stoicis profectam, quae apud Ciceronem in libro II. de offic. c. 3. §. 11. legitur: "Quae ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt in anima, ut aurum, argentum, ut ea, quae gignuntur e terra, ut alia eiusdem generis; partim animalia, quae habent suos impetus et rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Expertes rationis equi, boves, reliquae pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum usum atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur: unum Deorum, alterum hominum." Quae genera in utraque divisione fere eadem enumerantur, non diversa sunt ab iis, quae substratis et qualibus communia in prima et secunda categoria constituta sunt, quamquam aliter comparata; hoc enim loco oppositione discernuntur secundum peculiarem cuiusque indolem, illic gradatione quadam connectuntur secundum vim internam ens et essentiam copulantem. Quod si tenemus, facile intelligitur, qua ratione duplex divisio iisdem accepta fuisse possit, alia enim gradationis parte media posita, alia oritur divisio. Itaque Cicero et Seneca eo maxime discrepant, quod hic ex anima seu natura, quae plantis est

Ad pag. 177. cf. Notam.

τί

ὄν

σῶμα

animans — inanimum — καθ' ἑαυτό

rationale — irrationale — planta — metallum — τόπος

Deus — homo

1. in latitudinem

κάτω, ἐν μέσῳ, ἄνω

2. in altitudinem

ἀριστερά, μέσα, δεξιά.

3. in longitudinem

ὀπίσω, ἐν μέσῳ, πρόσω.

μὴ ὄν

ἀσώματον

κατὰ διαφοράν

χρόνος

κενόν

λεκτόν

πάρχων

ὑφιστάμενος

ὑπάρχον

ὑφιστάμενον

νεστώς

παρῳχημένος-μέλλων

σχέσις

κίνησις

ραττόμενον

πραχθέν-πραχθησόμενον

propria, in dividendo est profectus, ille ex animo animalibus proprio. Seneca praeterea non eo usque persequitur divisionem, quo Cicero; animalia enim a Seneca in mortalia tantum et immortalia secantur, quorum priora complectuntur e Stoicorum sententia etiam homines, cum Seneca non ubique Stoicam disciplinam sequens homines immortalibus annumeret, ut Senecae mortalia eadem sint atque Ciceronis irrationalia. Rationalia secundum Ciceronem aut homines sunt aut Dii. Inanimorum, quae Cicero non diserte subdividit, divisio in exemplis latet, ut aut immota jaceant aut crescant seu ex terra gignantur.

Itaque corporalium et incorporalium discrimen, quod hic summum est, omnes categorias pariter tangit; corporalium differentiae duabus prioribus categoriis communes sunt, incorporalium posterioribus, utraeque vero differentiae quodammodo inter se conveniunt, ut rerum divisio quasi oblique secet categorias. *)

Divisio hoc modo e variis veterum locis restituta, cum ad minimam tantum partem e logicis fragmentis deprompta sit, si dialectica ratione spectatur, minus vera esse videtur. Praeterea quaerentibus nobis, num omnes res ad haec genera redigi possint, deest genus mathematicorum, quae e

*) Tabula divisionis hic inserta ex testimoniis comparata ad conjecturam postea propositam facile mutari potest.

Stoicorum sententia sunt corporalia. Corporum igitur generibus, cum, quae exstant, *qualia* tantum sint, addenda esse videntur *quanta.* A quibus notionibus cum tertia categoria incipiat, ex qua totam hanc divisionem constitutam esse, infra aliter etiam probandum est, eidem jam cetera conferamus. In loco et tempore, quae sequuntur, *ubi* et *quando* agnosci apparet. Appellatum cetera aliquo modo se habentium genera comprehendit. Vacuum, quod solum restat, jam supra loco tribuendum nobis visum est. Itaque aliquid, aut in mente tantum aut etiam in rerum natura reperitur; hoc aut corpus est aut incorporeum; corpus aut quale aut quantum; incorporeum aut locus aut tempus aut situm esse aut habere aut pati aut efficere.

Hic praetermitti non potest Stoicorum consuetudo dividendi, ex qua non duo inter se opponunt genera, sed addunt tertium vel quartum, quorum alterum, quae in neutro priorum sunt, amplectitur, alterum, quae in utroque. Triplicis divisionis exemplum praebet dialectices definitio (Diog. Laërt. VII. 62.): *Διαλεκτικὴ δέ ἐστιν ἐπιστήμη ἀληθῶν καὶ ψευδῶν καὶ οὐδετέρων.* Aliud eiusmodi exemplum praebet Stobaeus Eclog. ethic. II. c. 7. p. 90. *Τῶν δ' ὄντων τὰ μὲν εἶναι ἀγαθά, τὰ δὲ κακά, τὰ δὲ ἀδιάφορα.* Quod posterius exemplum nobis monstrat, quomodo omnia eiusdemmodi solvenda sint; idem enim exstat apud Dioge-

nem, qui in eo divisionem contrariam et subdivisionem agnoscit; a divisione enim vulgari (*διαιρέσει*) distinguit divisionem contrariam (*ἀντιδιαίρεσιν*) atque in hac ponit subdivisionem hoc modo (§. 61.): *διαίρεσις δέ ἐστι γένους ἡ εἰς τὰ προσεχῆ εἴδη τομή, οἷον τῶν ζώων τὰ μέν ἐστι λογικά, τὰ δὲ ἄλογα· ἀντιδιαίρεσις δέ ἐστι γένους εἰς εἴδη τομὴ κατὰ τοὐναντίον, ὡς ἂν κατὰ ἀπόφασιν, οἷον τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἀγαθά, τὰ δ' οὐκ ἀγαθά· ὑποδιαίρεσις δέ ἐστι διαίρεσις ἐπὶ διαιρέσει· οἷον τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἀγαθά, τὰ δὲ οὐκ ἀγαθά· καὶ τῶν οὐκ ἀγαθῶν τὰ μέν ἐστι κακά, τὰ δὲ ἀδιάφορα· μερισμὸς δέ ἐστι γένους εἰς τόπους κατάταξις, οἷον τῶν ἀγαθῶν τὰ μέν ἐστι περὶ ψυχήν, τὰ δὲ περὶ σῶμα.* Haec sunt, quae Diocles Magnes ex hac parte logices Stoicae excerpsit, quippe quae cum difficultatem istam solvant, tum omnibus, quae disputavi, paullulum lucis addant. Triplici igitur divisioni, si tertium membrum priora excludit, singularis divisionis forma, quam contrariam vocant, primi membri negatione effecta fundamento est, eiusque membrum posterius subdividitur. Sed alia etiam triplicis divisionis forma reperitur, in qua tertium membrum priora complectitur, cuiusmodi exemplum praebent aliquo modo se habentia, quae apud Simplicium f. 54. *Γ.* ita dividuntur: *Καὶ ἡ μὲν ἀρχὴ τοῦ ὀνόματος τοῦ ἑκτοῦ ἀπὸ τῶν ἕξεων προήχθη, ὕστερον δὲ ἐπιδιέτεινε τοὔνομα καὶ ἐπὶ τὰς σχέσεις, οἷον προβολήν, κάθισιν, ἐπί τε τὰς κινήσεις,*

οἷα ἐστὶν ἡ περιπάτησις, ἐπί τε τὰς συνθέτους ἐκ κινήσεων καὶ σχέσεων καταστάσεις, οἷα ἡ ὄρχησις εἴη. Eodem modo omnes categoriae constitutae esse videntur, cum notiones non inferiorum tantum generum, sed etiam superiorum sint. Sin autem philosophia in tres secatur partes, eius non est divisio, sed partitio (*μερισμός*), quamquam de hac quidem re ipsi Stoici minus consenserunt (Diog. VII. 39.). Divisionis denique quatuor genera distinguentis exemplum exstat apud Sextum Emp. VII. adv. Math. 244. *Τῶν φαντασιῶν αἱ μέν εἰσιν ἀληθεῖς, αἱ δὲ ψευδεῖς, αἱ δὲ ἀληθεῖς καὶ ψευδεῖς, αἱ δὲ οὔτε ἀληθεῖς οὔτε ψευδεῖς.* Quae divisionis forma priores ambas continet, ut exemplum, quod attuli, ita solvendum esse videatur: visiones sunt aut verae aut falsae aut neutrae, neutrae vero aut nec verae nec falsae aut simul utraeque; at fortasse duae subdivisiones ponendae sunt hoc modo: visiones sunt aut verae aut non verae; non verae sunt aut falsae aut non falsae, non falsae denique aut simul falsae et verae aut nec falsae nec verae.

PARS TERTIA.

De contrariis.

Caput I.

De contrariorum definitione et generibus.

Etiamsi diligentissime indagando non ubique ad liquidum perduci potuit, quid in singulis Stoici statuerint, satis tamen liquet, eos summo cum acumine in rerum generibus constituendis fuisse versatos, id quod non minus de contrariis affirmandum est. In summis generibus enumerandis etsi nulla oppositionis fit mentio, ubique tamen contraria inter se opponuntur; divisio autem omnis sola oppositione nititur et diserte ad eam refertur; quamobrem ad categorias divisionesque omnino intelligendas contrariorum indoles et natura largiore expositione indiget.

Cum quae a Stoicis in hac parte docta sunt, e solo Simplicii libro ad Aristotelis categorias enucleandas scripto cognoscantur, rursus ab Ari-

stotelis placitis cum Stoica disciplina collatis proficiscendum est; praesertim cum Stoici nusquam tam prope ad Aristotelis sententiam accessisse videantur, quam hoc loco. Simplicius enim f. 98. Γ. haec profert: *Τῶν Στωϊκῶν μεγαφρονούντων ἐπὶ τῇ τῶν λογικῶν ἐξεργασίᾳ, ἔν τε τοῖς ἄλλοις [ἀντικειμένοις] καὶ ἐπὶ τῶν ἐναντίων σπουδάζουσι δεικνύναι, ὅτι πάντων τὰς ἀφορμὰς ὁ Ἀριστοτέλης πάρεσχεν ἐν ἑνὶ βιβλίῳ, ὃ περὶ ἀντικειμένων ἐπέγραψεν, ἐν ᾧ καὶ ἀποριῶν ἐστι πλῆθος ἀμήχανον, ὧν ὀλίγην ἐκεῖνοι μοῖραν παρέθεντο.* "Stoici logicorum adumbratione superbientes cum in ceteris oppositis tum de contrariis ostendere student, omnium initia deberi Aristoteli in uno libello, quem inscripsit de oppositis; in qua etiam difficultatum magna est copia, quarum parvam partem illi addiderunt." Ex quo quidem loco colligendum est, Stoicos appellasse contraria (*ἐναντία*) eadem, quae Aristoteles, sed alius eiusdem vocis usus non est negligendus; eodem enim (*ἐναντίων*) nomine significabant etiam ea, quae ille vocavit opposita (*ἀντικείμενα*); id quod affirmatur eo, quod Chrysippus librum de hac re compositum inscripsit de contrariis (*περὶ ἐναντίων*) atque omnes Stoici opposita simpliciter nominant, quae secundum affirmationem et negationem opponuntur (Sext. Emp. adv. Math. VIII. 89.).

Libellus Aristotelis, quem Stoici secuti esse dicuntur, non is esse potest, in quem Simplicius

commentatus est, quippe qui postpraedicamentorum partem efficiat, sed alius, qui non amplius est superstes. Quae enim in illo libro deperdito disputata esse dicuntur, in hoc non reperiuntur (Simpl. f. 104. a.). Ille cum neque ipse servatus sit, neque eius dispositio, non possumus non sequi hoc Aristotelis fragmentum, in quo explicando Simplicius versatur. Genera enim *contrariorum* a Stoicis eadem posita esse, quae ab Aristotele *oppositorum*, cum suspicari possumus ex iis, quae attulimus e Simplicio de Stoicis Aristotelis in hac logices parte vestigia persequentibus, tum ad verbum ab eodem traditur f. 102. b. loco infra afferendo. Liceat igitur generum enumerationem ex Aristotelis libro (ed. Lew. c. 8. ed. Pac. 10. §. 2.) adscribere: *Λέγεται δὲ ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικεῖσθαι τετραχῶς ἢ ὡς τὰ πρός τι ἢ ὡς τὰ ἐναντία ἢ ὡς στέρησις καὶ ἕξις ἢ ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις. Ἀντικεῖται δὲ ἕκαστον τῶν τοιούτων, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, ὡς μὲν τὰ πρός τι, οἷον τὸ διπλάσιον τῷ ἡμίσει· ὡς δὲ τὰ ἐναντία, οἷον τὸ κακὸν τῷ ἀγαθῷ· ὡς δὲ τὰ κατὰ στέρησιν καὶ ἕξιν, οἷον τυφλότης καὶ ὄψις· ὡς δὲ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, οἷον κάθηται, οὐ κάθηται.*

Qui locus satis perspicuus facile in Stoicum loquendi usum mutari potest. Mirum est, quod neque de oppositionis vel contrarietatis notione, neque de divisionis ratione quidquam in universum praemonetur, neque apud Aristotelem, neque e Stoicorum libris apud Simplicium. Non magis

intelligi potest, cur opposita ad aliquid relata primum locum teneant vel quae sit ordinis ratio; de qua num Stoici in libris suis aut Aristoteles in libro perdito disputaverint et quid statuerint, non compertum habemus. De quibus rebus etiamsi nihil liqueat, ordinem tamen, quem exhibui secundum Aristotelem, mutare ausus sum; Stoicos enim a contrariis, quae sensu arctiore vocabant, initium cepisse, veri non est dissimile, etenim eorum nomen ad alia extendisse videntur, ipsa, opinor, simplicia habentes, quibus in ceteris aliquid alieni accederet; quare de ceteris etiam alibi agendum erat, opposita enim ad aliquid relata quartae sunt categoriae, de reliquis duobus i. e. de iis, quae ad habitum et privationem aut ad negationem et affirmationem opposita sunt, in ea logices parte, quam de appellatis (περὶ λεκτῶν) inscripserunt, fusius disputarunt. Itaque a parte principali totum hunc locum de contrariis appellarunt.

Primo igitur naturam et indolem eorum expositurus sum, quae simpliciter sunt contraria, quarum definitio in ceteris agnosci possit necesse est, quamquam cuique generi addi oportet signum, quo et quodque genus a primo discrepet et omnia inter se differant; tum de contrariis secundum habitum et privationem spectatis, deinde de affirmatione et negatione disputábo, ultimo loco, quae simul relationem continent, describam. Quo or-

dine constituto, singula oppositorum genera singulis categoriis respondent. Contraria enim in substrato cernuntur, habitus et privatio inprimis ad qualitates pertinent, affirmatio et negatio in aliquo modo se habentibus spectantur, contraria relata ipsa relationem prae se ferunt.

Caput II.

De simpliciter contrariis.

Hoc genus facillimum est expositu; fragmenta enim tam ampla huius partis servata sunt, ut omnibus fere conjecturis supersedere possimus, quod in doctrina tam mutilata raro usu venit. Itaque in Simplicii locis componendis et interpretandis acquiescere possum. *Ὅρου τοίνυν παλαιοῦ*, inquit f. 98. *Γ.*, *περὶ τῶν ἐναντίων καταβεβλημένου, ὅτι ὅσα ἐστὶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει πλεῖστον ἀλλήλων διαφέρει, ηὔθυνε τὸν ὅρον ὁ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ τῶν ἀντικειμένων, πολυειδῶς βασανίσας αὐτόν. Καὶ γὰρ, εἰ καὶ τὰ διαφέροντα ἐναντία ἐστιν, ἐπέστησε, καὶ, εἰ ἡ διαφορὰ ἐναντιότης εἶναι δύναται, καὶ, εἰ ἡ πᾶσα διάστασίς ἐστιν ἡ τὸ πλεῖστον διαφέρουσα, καὶ, εἰ ταὐτὸν τὰ πλεῖστον ἀπέχοντα, ᾧ τὰ πλεῖστον διαφέροντα, καὶ, τίς ἡ ἀπόστασις, καὶ, πῶς τοῦ πλεῖστον ἀπέχειν ἀκουστέον· ὧν ἀτόπων φανέντων, προςληπτέον τι τῷ γένει, ἵνα ᾖ ὅρος, τὰ πλεῖστον ἀπέχοντα ἐν τῷ αὐτῷ γένει. Καὶ τίνα τούτῳ ἄτοπα ἕπεται, καὶ, εἰ ἑτερότητός ἐστιν ἡ ἐναντιότης, καὶ, εἰ τὰ μά-*

λιστα ἕτερα ἐναντία, ἄλλους ἔθηκεν ἐλέγχους πλείονας. — Τούτοις οὖν οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἐχρήσαντο πᾶσι καὶ τοῖς ἄλλοις διορισμοῖς τοῖς περὶ τῶν ἐναντίων Ἀριστοτέλει κατὰ πόδας ἠκολούθησαν, ἐκείνου τὰς ἀφορμὰς αὐτοῖς δεδωκότος ἐν τῷ περὶ τῶν ἀντικειμένων συγγράμματι, ἃς ἐξειργάσαντο ἐν τοῖς αὐτῶν βιβλίοις. "Definitionem veterem de contrariis traditam, ea esse contraria, quae in eodem genere quidem sint, maxime autem differant, Aristoteles ab omni parte examinatam correxit. Etenim num, quae differunt, contraria sint, in disquisitionem vocavit, atque, num differentia contrarietas esse possit, num quaeque distantia plurimum differat, num eadem sint, quae plurimum distant atque quae plurimum differunt, quae sit distantia atque quomodo intelligendum plurimum distare; quae cum absurda visa sint, assumendum est aliquid generi, ut evadat definitio: quae plurimum distant in eodem genere. Quae absurda sequantur, atque, num diversitatis sit contrarietas, et num maxime diversa sint contraria, multas alias dubitationes vel refutationes addidit. — Hisce igitur Stoici aliisque omnibus definitionibus ad contraria pertinentibus utentes Aristotelem vestigiis sequuntur, principiis ab illo traditis in libello de oppositis inscripto, quae illi in libris suis commentati sunt." Definitionem igitur contrariorum ab Aristotele servatam quidem, sed vexatam Stoici, difficultatibus, quas ille congesserat, solutis, sibi assumpsisse videntur;

quamquam, qua ratione difficultates, quae hic memorantur, sive ab Aristotele sive a Stoicis solutae sint, non additur. Secundum antiquiorem definitionis formam contraria sunt, quae in eodem genere maxime *differunt*; quam, omnibus notionibus huc pertinentibus accuratius circumscriptis, Aristoteles ita mutavit, ut contraria habeantur, quae in eodem genere maxime *distant*. Aristoteles enim docuit, quid intersit inter differentiam et distantiam; ipse tamen hanc definitionem non sufficientem putasse videtur, quamquam interdum ea usus est. e. g. de categ. c. 4. de quanto §. 15. ed. Lew. Etenim non ubique eam quadrare ostendere studuit; quare Stoici difficultates ab Aristotele aut motas aut relictas solvere conati sunt. Simpl. l. l. *Δ*. *Οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς παραλαβόντες τὸν ὅρον, ἐχρήσαντο, τὸ μὲν σαθρὸν αὐτοῦ παραδεικνύοντες, πειρώμενοι δὲ ὅλως λύειν τὰ δοκοῦντα ἄτοπα.* "Stoici definitionem istam assumpserunt eaque usi sunt; quid in ea inesset infirmi, indicantes quidem, quae autem absurda viderentur, omnino solvere conantes."

Contrariorum genera non minus, quam definitionem, nobis servavit Simplicius, quippe quae doceant, quam accurate apud Stoicos cum categoriis conjuncta fuerit oppositionis ratio. Definitione enim praemissa, et difficultatibus, quae solvendae erant, memoratis l. l. *E*. pergit: *Καὶ γὰρ καὶ τὰς ἕξεις ἐναντίας ὑπέλαβον, ὡς ἐκεῖνος, οἷον*

φρόνησιν, ἀφρόνησιν· καὶ τὰ κατηγορήματα, ὥςπερ τὸ φρονεῖν καὶ ἀφραίνειν· καὶ τὰς μεσότητας, οἷον τὸ φρονίμως ἢ ἀφρόνως. Τοὺς μέντοι ποιοὺς καὶ πὼς ἔχοντας οὐκέτι ὑπέλαβον ἐναντίους, ἀλλ' ἐναντίως ἔχειν καὶ τοῦτον τούτῳ, ἀλλὰ μέσως τὸν φρόνιμον τῷ ἄφρονι λέγουσιν· ἐὰν δέ ποτε καὶ λέγωμεν τοῦτον τούτῳ ἐναντίον εἶναι, ἐπὶ τὰ ἄμεσα ποιούμεθα τὴν σημασίαν, ὥς φασι. Κυριώτατα μὲν οὖν ἐπὶ τῶν ἕξεων καὶ τῶν σχέσεων καὶ τῶν ἐνεργειῶν καὶ τῶν τούτοις παραπλησίων ἡ ἐναντίωσις θεωρεῖται· δεύτερον δὲ ὡς ἐναντία λέγεται τὰ κατηγορήματα καὶ τὰ κατηγορούμενά πως ἐκείνοις· προςάγει δὲ ἀμωςγέπως πρὸς τὰ ἐναντία καὶ τὸ φρονίμως καὶ ἀφρόνως. Ὅλως δὲ ἐν τοῖς πράγμασι τὰ ἐναντία θεωρεῖται καὶ ἡ φρόνησις τῇ ἀφροσύνῃ ἀμέσως οὕτως ἐναντία λέγεται, οὐχ ἥδε τῇδε. Qui locus si integer exstat, hoc modo est interpretandus: "Etenim et habitus accipiunt contrarios Stoici, ut ille (Aristoteles), e. g. sapientiam et insipientiam, et praedicationes, sicut sapere et desipere, et medietates (adverbia), sicut sapienter et insipienter. Quales vero et aliquo modo se habentes non jam contrarios esse, sed contrarie se habere hunc illi dicunt, ita ut aliquid medii intercedat, si sapiens et insipiens contrarii accipiuntur. Etenim si quando dicimus, hunc illi esse contrarium, rem significamus ad similitudinem eorum, quae nulla re interveniente, contraria sunt, ut illi dicunt. Proprie igitur in habitibus, in affectionibus et actionibus earumque similibus con-

trarietas cernitur. Deinde velut contraria dicuntur praedicationes et quae earum ope quacunque ratione praedicantur. Accedunt contrariis quovis modo etiam sapienter et insipienter. Omnino vero in *rebus* contraria cernuntur atque sapientia hoc modo, nulla re interveniente insipientiae contraria esse dicitur, neque tamen haec illi." At locus hic mancus esse videtur, etenim post vocabula *ἀλλ' ἐναντίως ἔχειν* sententiae ita male connectuntur, ut lacunam ibi statui necesse sit; neque minus in ultimis verbis aliquid deesse videtur post vocabulum *ἀμέσως*, quae enim sequuntur, vix tolerabilem sensum praebent; quamquam cum sensus ceterum satis perspicuus sit, lacunas explere vix operae pretium est. Contrariorum enim primum genus, eorum, quae nos nunc abstracta vocamus, qualitates complectitur et affectiones atque actiones, quarum posteriores utraeque aliquo modo se habentia et ad aliquid relata significare videntur substantivorum formis expressa, etenim ipsa sapientia et insipientia non tantum virtutes sunt, sed etiam affectiones (Stob. Ecl. II. 7. p. 128.). Eodem pertinere contendi aliquo modo ad aliquid relata, si substantivis exprimuntur, ut effusio et infusio, actiones enim sunt, quae, ut affectiones, non minus in quarta categoria cernuntur, quam in tertia (Cf. p. 132.). Omnia vero in primo contrariorum genere substantivis exprimi oportere, docet secundi generis definitio, quippe quod amplectatur

praedicationes et praedicata, quae jam minus sunt abstracta ex nostro loquendi usu; huc igitur referenda sunt non solum sapere et desipere, sed etiam sapit et desipit atque non tantum aliquo modo se habentia, sed etiam aliquo modo relata, cuiusmodi est effundere et infundere, effundit aliquis et infundit. Tertio loco adverbia proprie contraria sunt, e. g. sapienter et insipienter, quae *μεσότητες* vocantur fortasse, quia quodammodo in medio versantur inter abstracta et concreta, minus enim per se cogitari possunt, quam qualitates et affectiones et actiones, magis tamen, quam praedicationes et praedicata (Prisc. p. 574. Diog. VII. 57.). Cuncta haec, nulla re intercedente (*ἀμέσως*), contraria esse dicuntur, quod nostrates dicunt *immediate*. Contrarietas enim omnino cernitur in rebus (*πράγμασιν*) i. e. ad Stoicorum loquendi usum in cogitatione. Quae cum ita sint, minus proprie vel e nostro loquendi usu, indirecte et mediate (*μέσως*) contraria sunt quales, aliquo modo se habentes et relati, cuiusmodi sunt bonus et malus, sapiens et insipiens, infundens et effundens, qui non nisi contrarie se habent, abusu tantum contraria dicuntur.

Restat genus contrariorum, quae minus etiam proprie dicuntur, definitionum dico, de quibus haec proferuntur apud Simplicium l. l. Z. *Ὄντος δὲ δυνατοῦ τὸ αὐτὸ καὶ κατὰ ἀσύνθετον φωνὴν εἰπεῖν, οἷον φρόνησιν, ἀφροσύνην, καὶ δι' ὅρον, οἷον ἐπιστή-*

μην ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων καὶ τὴν ἀφροσύνην ἄγνοιαν τῶν αὐτῶν, ζητοῦσι, πότερόν ἐστι τὰ κατὰ τὰ ἁπλᾶ μόνον [ἐναντία], ἢ κατὰ τοὺς ὅρους. Καὶ ὅγε Χρύσιππος ἐφέστησε, μήποτε τὰ προσηγορικὰ καὶ ἁπλᾶ μόνον ἐστὶν ἐναντία, τὰ δὲ οὐκ ἔστι. Πολλὰ γὰρ ἐν τούτοις συμπεριλαμβάνομεν καὶ μετὰ ἄρθρων καὶ μετὰ συνδέσμων καὶ ἄλλων δὲ μορίων ἐξηγητικῶν, ὧν ἕκαστον εἰς τὸν τῶν ἐναντίων λόγον ἀλλοτρίως ἂν παραλαμβάνοιτο· διὸ τὴν μὲν φρόνησιν τῇ ἀφροσύνῃ φησὶν εἶναι ἐναντίον, τὸν δὲ ὅρον τῷ ὅρῳ οὐκέτι ὁμοειδῶς ἐναντίον εἶναί φησιν, ἐπ' ἐκεῖνα δὲ ποιούμενοι τὴν ἀναφορὰν καὶ τοὺς ὅρους κατὰ συζυγίαν ἀντιτιθέασι. „Cum vero idem et oratione non composita dici possit, (ut sapientia, insipientia), et definitione, (ut scientia boni, mali, et neutrius, eorundemque inscientia,) quaerunt, utrum ea tantum, quae simpliciter proferuntur, contraria sint, an etiam definitione quae significantur. Chrysippus quidem dubitat, annon appellata et simplicia sola sint contraria, definitiones vero non. Multa enim in hisce amplectimur articulorum, conjunctionum aliarumque particularum rem accuratius illustrantium ope, quorum quodque aliter in contrariorum rationem cadat; quare sapientiam quidem insipientiae contrariam esse dicit, definitionem vero definitioni non eodem modo esse contrariam contendit; illorum autem singulorum si rationem habeamus, definitiones quoque inter se oppositas esse volunt." Ea igitur conditione tantum definitiones

inter se opponi possunt, ut singula vocabula in utraque sibi respondeant.

Si ad categorias et divisionem respicimus, ubique oppositio contrariorum agnoscitur. Contraria jam aut in diversis aut in iisden substratis sunt. Contraria enim omnia esse videntur subdivisa categoriarum genera, essentia et ens, dispositio et habitus, affectio et motus, excepto simpliciter et aliquo modo relatorum discrimine, quod tamen multa contraria continet. Divisio denique tota habet contrariorum oppositiones, prima fortasse entis et non-entis differentia excepta, quae in tertium oppositionis genus cadere videtur.

Caput III.

Habitus et privatio.

Hisce notionibus secundum locum tribuendum esse duxi, quia ad qualitates inprimis spectant. Hic quoque definitionem vel descriptionem ab Aristotele prolatam c. VIII. §. 8. ed. Lew. Chrysippus sibi assumptam dilatavit, teste Simplicio f. 100. *B. Τὸν Χρύσιππόν* [*φασιν*] *Ἀριστοτέλει ἑπόμενον στερητικὰ λέγειν ταῦτα, ὅσα ἀναιρεῖ παρεμφαίνοντα τὴν τοῦ ἔχειν φύσιν, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' ὅταν ἐμφαίνῃ τὸ πεφυκὸς καὶ ὅτε πέφυκεν. Καὶ ἀντικεῖται τῇ ἀπὸ τοῦ ἔχειν λεγομένῃ ἕξει ἡ στέρησις καὶ οὐ μόνον ποιοτήτων αἱ στερήσεις, ἀλλὰ καὶ ἐνεργειῶν, ὡς ἡ τύφλότης τῆς τοῦ ὁρᾷν ἐνεργείας καὶ ἡ χωλότης τῆς τοῦ βαδίζειν.* "Chrysippum Aristotelis senten-

tiam secutum privativa vocare ea dicunt, quae tollant habendi naturam exprimentia, neque tamen simpliciter, sed ubi significent, quod a natura comparatum sit et quando ita comparatum sit. Atque habitui ab habendo nominato opponitur privatio, neque qualitatum solum sunt privationes, sed actionum etiam, ut caecitas actionis videndi, clauditas actionis incedendi privatio." Etiamsi igitur non qualitatum tantum, sed etiam actionum atque, ut postea videbimus, omnino aliquo modo habendi sunt privationes, de qualitatibus tamen proprie dicuntur, ab iisque originem duxerunt; qualitates enim primo a natura comparatae sunt, ex iis demum proficiscuntur actiones, ut in plerisque utraeque iisdem vocabulis significentur; caecitas enim primo privationem indicat qualitatis illius seu potentiae naturalis, qua videmus, postea actionis etiam. Quare primum et maxime proprium privationum genus in qualitatibus cernitur. Simplicius, definitione exposita, jam genera enumerare pergit: *Πολλαχῶς δὲ τοῦ ἔχειν λεγομένου, πολλαχῶς καὶ ἡ ἀέχεια καὶ ἡ στέρησις ἔσται. Ἔστι δέ τις στέρησις καὶ ἄλλη παρὰ τὴν φυσικήν, λέγω δὲ καθ' ἣν ἐπὶ τῶν πεφυκότων ἐλέγομεν καὶ ὅτε ἐπεφύκεσαν, ἣν Χρύσιππος ἠθικὴν καλεῖ· ἀχίτων γὰρ καὶ ἀνυπόδητος καὶ ἀνάριστος σημαίνει μὲν καὶ ψιλὴν ἀναίρεσιν, σημαίνει δὲ καὶ παρέμφασίν τινα, ὅτε καὶ κατὰ στέρησιν γίνεται, οὔτε γὰρ ἀχίτωνα τὴν βοῦν ἐροῦμεν οὔτε ἡμᾶς, ὅταν λουώμεθα, ἀνυποδέτους, καὶ*

ἀναρίστους οὔτε τοὺς ὄρνιθας οὔτε ἡμᾶς ἅμα τῷ ἡμέραν γενέσθαι, ἀλλὰ δεῖ συνεμφαίνεσθαι τοῦ εἰθισμένου καὶ ὅτε εἴθισται τὴν στέρησιν· ὄντος γὰρ ἔθους ἀριστᾷν κατά τινα ὥραν τεταγμένην, ὁ ὑπὸ τὸ ἔθος ὤν, ὅταν μὴ ἐν τῷ χρόνῳ τῷ τεταγμένῳ ἀριστήσῃ, οὐ φύσεως ἔμφασιν, ἀλλ᾽ ἔθους κατὰ τὴν στέρησιν ἀναιρεῖ. Εἰσὶν οὖν ἀέχειαι αἱ μὲν τῶν φύσει, αἱ δὲ τῶν κατὰ ἔθος, καὶ ἀναιρέσεις, ἐν οἷς ἕκαστα καὶ πέφυκε καὶ εἴθισται. Πολλάκις δὲ οὐκ ἔθους, ἀλλὰ καθήκοντος ἀπόπτωσιν ἐμφαίνει ἡ στέρησις, ὡς ἐπὶ τοῦ ἄκλητον δειπνεῖν, ὅταν παρεμφαίνωμεν, ὅτι οὐ καθηκόντως ἀπήντησεν, οὔτε κατὰ τὸ ἐπίβαλλον τοῖς ἔθεσιν. Ἔστι καὶ ἄλλως ἡ στέρησις τῶν ὁμωνύμως λεγομένων· καὶ γὰρ ὅταν τι γένος ὅλον μὴ ᾖ πεφυκός τι ἔχειν, ἐστερῆσθαι λέγομεν ἐκείνου, ὃ μὴ πέφυκεν ἔχειν· οὕτως τὰ φυτὰ ἐστερῆσθαι λέγομεν αἰσθήσεως, τῷ μὴ πεφυκέναι ἔχειν αἴσθησιν· καὶ ὅταν δὲ τὰ ἐν τῷ γένει τὰ μὲν ᾖ πεφυκότα ἔχειν, τὰ δὲ μὴ πεφυκότα, ἐστερῆσθαι λέγεται τὰ μὴ πεφυκότα, ὥςπερ ἐν τῷ γένει τῶν ζώων ὁ ἀσπάλαξ ὄψεως. Καὶ μᾶλλον γε τοῦτο λέγομεν, ὡς ἐπὶ τοῦ πρὸς βίαν ἀφῃρῆσθαι. Κυρίως δὲ στέρησις λέγεται ἐπὶ τῶν πεφυκότων μὲν ἔχειν, μὴ ἐχόντων δὲ τότε, ὅτε πεφύκασι καὶ ὅτε εἰώθασι καὶ ἐνεστήσαντο ἔχειν· ὃ δὴ καὶ ἀντίθετον τῇ ἕξει θεωρεῖται· καὶ ἡ ἐν τούτοις ἀντίθεσις κέκληται ἡ κατὰ ἕξιν καὶ στέρησιν. "Cum variis significationibus *habere* dicatur, etiam *non habere* et privatio plures significationes exprimere potest. Est praeter naturalem alia quoque privatio, eam

dico, quam iis tribuimus, quae comparata sunt et quando comparata sunt, quam Chrysippus moralem vocat; tunica enim privatus et calceamentis et impransus tenuem significant defectum, significant vero simul descriptionem quandam, quando secundum privationem accipiuntur; neque enim tunica privatum dicimus bovem, neque nosmet ipsos, si lavamur, calceamentis privatos, atque impransos neque aves neque nosmet ipsos, ubi dies elucet, sed simul indicari oportet privationem rei, cui assuefacti et quando ei assuefacti sumus. Cum enim more seu consuetudine invaluerit certa quadam hora prandere, qui mori se dedit, si consueto tempore non prandit, non naturae, sed moris vim privatione sustulit. Sunt igitur privationes aliae eorum, quae secundum naturam valent, aliae eorum, quae secundum morem, atque defectus eorum, in quibus omnia et natura et consuetudine nata sunt. Saepe vero non moris, sed officii defectum indicat privatio, e. g. si quis non invitatus coenat, ubi indicamus, eum officio non satisfecisse, non, eum contra morem et consuetudinem peccavisse. Alia praeterea est privatio, ubi iisdem vocabulis diversae res significantur; etenim cum, ubi genus aliquod totum ita a natura comparatum est, ut aliquid non habeat, id privatum esse dicimus illo, quod secundum naturam suam non habet, qua ratione plantae sensu privatae esse dicuntur, quia a natura ita comparatae sunt, ut non habeant sen-

sum; tum ubi quae in genere quodam sunt, partim ita comparata sunt, ut habeant aliquid, partim ut non habeant, hoc privata esse dicuntur, quae ita comparata sunt, ut non habeant, cuiusmodi in genere animalium talpa visu est privata. Quod quidem potius ita dicimus, ut si quid vi privatum est; proprie tamen privatio dicitur de iis, quae ita comparata, ut aliquid habeant, hoc non habent tum, cum ita comparata et solita et quasi coacta sunt, ut habeant; quod quidem habitui oppositum cernitur; atque eiusmodi oppositio secundum habitum et privationem esse dicitur." Quae omnia etsi e sua animi sententia disputat Simplicius, si non omnia, maximam tamen partem e Stoicis deprompsit. Duo enim genera priora cum priore, tum hoc loco Chrysippo vindicantur, cetera vero praetermissa esse ab eo, qui omnium diligentissime hanc partem tractavit, veri est dissimillimum. Quatuor igitur constituuntur genera contrariorum secundum habitum et privationem spectatorum, primum eorum, quae eo, quod secundum indolem suam naturalem *habere* debent, destituta sunt, secundum eorum, quae eo carent, quod ex more habeant oportet; tertium, si quae officium relinquunt, quo fungi par est; quartum denique generis cuiusdam, quod aut totum aut ex parte caret facultate aliqua. Priorum generum duorum, quae proprie privata dicuntur, prius etiam magis proprie hoc nomine significasse vide-

tur Chrysippus, qui a posteriore id eo distinxerit, quod eiusmodi habitum in privationem versum restitui non posse ponebat, teste Simplicio f. 101. *li.* Ἕξεως καὶ στερήσεως οὐ δυνατὸν εἰς ἄλληλα μεταβολὴν γίνεσθαι· τυφλότης μὲν γὰρ ἐξ ὄψεως γίνεται· οὐκέτι μέντοι καὶ ἀνάπαλιν, ὅθεν καὶ ὁ Χρύσιππος ἐζήτησεν, εἰ τυφλοὺς ῥητέον τοὺς ὑποχυθέντας, δυναμένους δὲ ἐκ παρακεντήσεως ἀναβλέψαι καὶ ἐφ᾽ ὧν τὰ βλέφαρα κέκλεισται· τὸ γὰρ, δυνάμεως οὔσης, ἐοικέναι τῷ καταμεμυκότι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἢ τῷ κωλυομένῳ ὁρᾷν διά τι παραπέτασμα, οὗ ἀφαιρεθέντος οὐδὲν κωλύεται ὁρᾷν. Διὸ οὐδὲ ἀπὸ στερήσεως εἰς ἕξιν ἡ τοιαύτη γίνεται μεταβολή· λαμβάνει δὲ νῦν στέρησιν τὴν κατὰ πήρωσιν· ἐκ γὰρ τῆς τοιαύτης οὐκ ἔστιν ἐπάνοδος ἐπὶ τὴν ἕξιν. Ἄλλη γὰρ στέρησις ἦν, ἧς ἐν φυσικοῖς μνημονεύει, ἣν κατὰ συμβεβηκὸς αἴτιον τῶν γινομένων φησί, τὴν ἐν τῇ πρώτῃ ὕλῃ ἀπουσίαν τῶν ἐν αὐτῇ πεφυκότων γίνεσθαι εἰδῶν, θεωρῶν οὐδὲν ἔλαττον τῆς τοῦ εἴδους παρουσίας κατὰ φύσιν οὔσης ἐν *) τῇ τῶν γεννητῶν ὕλῃ· ἡ δὲ ἐνταῦθα στέρησις ἐν τοῖς συνθέτοις κατὰ τὴν παρὰ φύσιν αὐτῶν διάθεσιν εἴληπται. Ἔτι δὲ στέρησιν ληπτέον τὴν κατὰ φύσιν· οὐ γὰρ δὴ τὴν κατὰ ἔθος· ἀπὸ γὰρ τῆς κατὰ ἔθος στερήσεως, οἷον τῆς γυμνότητος, ἐπάνοδος γίνεται ἐπὶ τὴν ἕξιν, οἷον τὴν ἀμφίεσιν. "Habitus et privatio invicem inter se commutari non possunt; caecitas enim e visu quidem fit, neque vero vice

---

*) Ita scribendum pro οὖσαν, quod libri exhibent.

versa, quare etiam Chrysippus quaesivit, num caeci vocandi sint, quorum oculi suffusi sunt, cum visum recipere possint sectione, vel ii, quorum palpebrae sunt clausae; potestate enim videndi servata, eos pares esse illi, qui oculos clauserit, vel qui velo impediatur, quominus videat. Quare e privatione in habitum non eiusmodi est conversio; accipit vero hic privationem excaecando factam, e qua nullus est reditus ad habitum. Alia enim privatio erat, cuius mentionem facit in physicis, quam casu causam esse dicit eorum, quae fiunt, defectum significans, qui in prima materia est, idearum seu qualitatum, quae secundum rei indolem adesse debent, etiamsi nihilo minus ideae exsistentia parentibus insita est. Haec vero privatio in compositis accepta est secundum dispositionem eorum praeter naturam. Praeterea privatio est illa secundum naturam, non illa secundum morem accipienda; e privatione enim secundum morem accepta datur reditus, ut e nudi hominis statu in vestitum." Si quis igitur morali habitu privatus est, is eum recipere potest, qui vero habitu naturali, non potest; haec privatio duplex est, aut ab ortu rerum inde propter primae materiae defectum, aut postea extrinsecus facta. Ut privatio, ita etiam habitus duplex esse videtur, est enim aut ab ipsa natura comparatus aut arte quadam, ille amitti quidem potest, sed non restitui, hic ne amitti quidem; id quod colligendum est

e Simplicio f. 102. *A.* *Τὸ δὲ ἀνάπαλιν οἱ Στωϊκοὶ οὐ διδόασιν· οὐκ εἶναι γάρ φασιν ἀποβλητὴν τὴν ἀρετήν.* "Mutuum transitum Stoici non concedunt; virtutem contendentes amitti non posse." Tametsi hoc in universum profertur, ipsi tamen Stoici exceptionem statuunt, ipsa enim arte, qua habitum nobis paravimus, perdita, habitus una perit; quod cognoscas ex eodem Simplicio f. 102. *B.* *Ἔτι δὲ καὶ οἱ Στωϊκοὶ ἐν μελαγχολίαις καὶ κάροις καὶ ληθάργοις καὶ ἐν φαρμάκων λήψεσι συγχωροῦσιν ἀποβολὴν γίνεσθαι μεθ' ὅλης τῆς λογικῆς ἕξεως καὶ αὐτῆς τῆς ἀρετῆς, κακίας μὲν οὐκ ἀντεισαγομένης, τῆς δὲ βεβαιότητος χαλωμένης καὶ εἰς ἣν λέγουσιν ἕξιν μέσην οἱ παλαιοὶ μεταπιπτούσης.* "Et ipsi Stoici in melancholia, sopore et lethargia atque veneficio concedunt cum toto rationali habitu etiam virtutem amitti, nulla pravitate eius locum occupante, sed securitate [et firmitate] cogitandi et agendi] deficiente atque in habitum incidente, quem veteres medium vocant" i. e. nec malum nec bonum. Qui connexus sit bonorum et malorum cum privatione, longius persecutus esse videtur Chrysippus, e cuius libro exscripsit nonnulla Jamblichus teste Simplicio f. 102. *B.* *Ἀλλὰ τὸν μὲν πλήρη περὶ τῶν στερήσεων λόγον ἔστιν ἔκ τε τοῦ Ἀριστοτελικοῦ καὶ τοῦ Χρυσιππείου βιβλίου λαμβάνειν· τινὰ δὲ ὁ Ἰάμβλιχος παρέγραψεν* etc., qui locus ostendit, cum posteriores philosophos multa e Stoicis deprompsisse, tum Stoicos, inprimis Chrysippum, hanc partem

valde dilatasse atque ad finem fere perduxisse visos esse.

Saepe Stoici logicae multa grammatica intrusisse dicuntur, quod minus juste dictum esse, ex hoc Simplicii loco cognosci potest; grammaticam enim vocabulorum formam et notionem logicam valde differre, in hac quidem parte satis copiose exposuerunt: f. 100. *Δ*. *Καὶ τοῦτο δὲ ἰστέον, ὅτι ἐνίοτε μὲν οὐ στερησικὰ ὀνόματα στέρησιν δηλοῖ, ὡς ἡ πενία τὴν στέρησιν τῶν χρημάτων καὶ ὁ τυφλὸς στέρησιν ὄψεως, ἐνίοτε δὲ στερητικὰ ὀνόματα οὐ στέρησιν δηλοῖ, τὸ γὰρ ἀθάνατον στερητικὸν ἔχον τὸ σχῆμα τῆς λέξεως οὐ σημαίνει στέρησιν· οὐ γὰρ ἐπὶ πεφυκότος ἀποθνήσκειν, εἶτα μὴ ἀποθνήσκοντος χρώμεθα τῷ ὀνόματι. Πολλὴ δὲ ταραχὴ κατὰ τὰς φωνάς ἐστι τὰς στερητικάς· διὰ γὰρ τοῦ α καὶ αν προσαγομένων αὐτῶν, ὥσπερ ἄοικος καὶ ἀνέστιος, συμβαίνει ποτὲ μὲν ταῖς ἀποφάσεσι, ποτὲ δὲ τοῖς ἐναντίοις συμφύρεσθαι αὐτάς· καὶ γὰρ ὥσπερ τῇ ἀνδρείᾳ ἡ δειλία ἐναντίον ἐστίν, οὕτω καὶ τῇ δικαιοσύνῃ ἡ ἀδικία, ἐναντία οὖσα τῇ δικαιοσύνῃ. Καὶ τὸ κακὸν δὲ δηλοῦται πολλάκις, ὡς ἄφωνον ἐλέγομεν τραγῳδὸν τὸν κακόφωνον. Καὶ ἀποφάσεις δὲ δηλοῦνται διὰ τῶν στερητικῶν φωνῶν, ὥσπερ τὸ διάφορα, ἀδιάφορα καὶ λυσιτελῆ, ἀλυσιτελῆ. Πολλάκις δὲ αἱ μὲν πλείω σημαίνουσιν, ὡς καὶ ἀπόφασιν καὶ στέρησιν καὶ ἐναντίωσιν δηλοῦσθαι ὑπ᾽ αὐτῶν, ὡς τὸ ἄφωνος· αἱ δὲ καὶ διάφορα ἐναντία σημαίνουσιν, ὡς ἡ ἀκαιρία τὸ μὲν ἐναντίον τῷ καιρῷ δηλοῖ, στερητικὸν δὲ οὐδὲν*

ὅλως *) ἐμφαίνει· ἐπειδὴ καὶ χρηστότητι μὲν ἐναντίον ἡ πονηρία· ἡ δὲ ἀπονηρία δὲ στέρησις τῆς πονηρίας, ἔστι δὲ ὅτε καὶ τὴν χρηστότητα ἐμφαίνει. Πολλῆς δὲ οὔσης τῆς ἀνωμαλίας, Χρύσιππος μὲν ἐν τοῖς περὶ τῶν στερητικῶν λεγομένοις ἐπεξῆλθεν αὐτήν. "Hoc etiam animadvertendum est, modo privationem non nominibus privativis indicari, ut paupertate divitiarum privationem, caecitate visus privationem; modo privativis nominibus nullam privationem indicari, e. g. immortale (*ἀθάνατον*) privativam dictionis formam prae se ferens nullam indicat privationem; hoc enim nomine non de eo utimur, qui morti destinatus non moritur. Magna enim confusio est vocum privativarum; etenim cum litteris *α* et *αν* (in Latina lingua syllaba in) exprimantur, ut *ἄοικος* (domo privatus) et *ἀνέστιος* (foco privatus), modo accidit, ut negationibus modo, ut contrariis immisceantur; etenim uti *ἀνδρείᾳ* (fortitudini) contrarium est *δειλία* (ignavia), ita *δικαιοσύνῃ* (justitiae) contraria est *ἀδικία* (injustitia). Saepe etiam malum indicat vox privativa, ut *ἄφωνον* (mutum) dicimus tragoedum male pronuntiantem. Neque minus negationes indicantur vocibus privativis e. g. *διάφορα*, *ἀδιάφορα* (differentia, indifferentia), *λυσιτελῆ*, *ἀλυσιτελῆ* (utilia, inutilia). Saepe vero aliae plura indicant, ut et

---

*) In hoc loco vitium inesse videtur, quod detegere non potui.

negatio et privatio et contrarietas iisdem significentur, cuiusmodi est ἄφωνον; aliae diversa contraria indicant, sicut ἀκαιρία (inopportunitas) contrarium quidem est καιρῷ (opportunitati), privativum vero nihil omnino indicat; praeterea χρηστότητι (probitati) contrarium quidem est πονηρία (nocentia), ἀπονηρία (innocentia) autem privatio est πονηρίας (nocentiae); quanquam interdum etiam probitatem indicat. Anomaliam in hisce rebus magnam exposuit Chrysippus in iis, quae de privativis disputat."

Accurate igitur Chrysippus a logicis sejunxit, quae ad grammaticen pertinent; quod enim grammaticen, quam nostrates vocant philosophicam, partem habuit logices, hanc ob causam grammaticen non permiscuit cum logice; imo unam ab altera distinctam quidem, sed etiam connexam habet.

Habitus eiusque privatio neque in divisione neque in categoriis constituendis reperitur, in plurimis autem singularum notionum ad quamvis categoriam pertinentium conspicitur. Etenim cum non qualitates tantum, sed etiam actiones spectet, non minus est quartae, quam tertiae categoriae, neque motiones tantum in utroque, sed etiam affectiones attingit atque praeter aliquo modo ad aliquid relata, simpliciter quoque relata amplectitur; ἄοικος e. g. simpliciter est relatus ad domum. Cum vero eaedem saepe notiones, quae privationem admittunt, simul suum quaeque contrarium

habeant; contraria, quae simpliciter accipiuntur, accuratius distinguenda sunt a contrariis, quae secundum habitum eiusque privationem cernuntur, id quod fecit Chrysippus teste Simplicio f. 100. *E.* *Κἂν λέγηται οὖν στερητικῶς πολλὰ καὶ τῶν ἐναντίων καὶ τῶν ἀποφατικῶν, ἀλλὰ δεῖ τὰς στερητικὰς τῶν ἕξεων ἀντιθέσεις κατὰ τὸν οἰκεῖον τρόπον λαμβάνειν· ἔστι δὲ οὗτος* *) *ὁ τῆς ἐπιβαλλούσης ἕξεως τὴν οἰκείαν στέρησιν ἐν τῇ ἀντιθέσει λαμβάνων· γίνεται δὲ περὶ τὸ αὐτὸ ὑποκείμενον ἥτε τοιαύτη ἕξις καὶ ἡ ἀντίθετος αὐτῇ στέρησις οὐχ ἅμα δέ, οἷον περὶ ὀφθαλμὸν τυφλότης, περὶ ὃν* **) *καὶ ἡ ὄψις.* "Itaque si quidem multa privativa forma dicuntur et contrariorum et negativorum, privativas vero habituum oppositiones secundum peculiarem rationem accipi oportet, haec est ratio, quae peculiarem habitus accedentis privationem accipit; in eodem autem substrato versatur eiusmodi habitus atque privatio ei opposita, neque tamen simul, ut in oculo caecitas et visus."

Contraria igitur secundum habitum et privationem a simpliciter contrariis distinguuntur, quod

---

*) Vocabulum *οὗτος* ad *τρόπον* referendum esse putavi; quamquam etiam ad viros antea nominatos pertinere potest; quod si statuitur, num ad Chrysippum, an ad Aristotelem spectet, quaeritur, quod cum grammatice non decidat, loquendi usus locum Chrysippo vindicat.

**) Libri exhibent *ὅ*, quod in *ὃν* mutavi.

non ut illa vel diversis accidunt substratis, vel iisdem simul, sed in iisdem quidem cernuntur, quamquam non utrumque eodem tempore, sed unum post alterum. Negationes quidem et affirmationes et ipsae in iisdem substratis reperiri possunt, sed omnino non contraria sunt, id quod postea docendum est. Stoicis vel Chrysippo locum, quem attuli, vindicandum esse, ut statuam, adducor cum propter protasin, in qua proferuntur, quae antea e Chrysippi libris allata sunt, tum propter vocabulum *ὑποκείμενον*, quod in Aristotelis adumbratione non legitur; hic enim c. 8. §. 8. rem hisce verbis describit; *Στέρησις δὲ καὶ ἕξις λέγεται περὶ ταὐτόν τι*; ubi vocabulum *τι* idem significat, quod Stoici vocant *ὑποκείμενον*.

Caput IV.

Affirmatio et negatio.

Tertium oppositionis genus vix ad hanc logices partem pertinere videtur, in qua singulae notiones in disquisitionem vocantur, negatio enim et affirmatio, plerumque pluribus verbis expressae, plures etiam notiones amplectuntur, interdum tamen singulas tantum notiones secundum Stoicos significant, quare quaestio de affirmatione et negatione hic praetermitti non potest, praesertim cum discrimen constituendum sit inter hoc et cetera

oppositionis genera; oppositionis dico (*ἀντιθέσεως*) secundum Aristotelis dictionem, Stoici enim opponendi vocabulum (*ἀντικεῖσθαι* et *ἀντιτιθέναι*) de solo hoc genere usurpasse dicuntur ap. Simpl. f. 102. *Δ*. *Οἱ γοῦν Στωϊκοὶ μόνα τὰ ἀποφατικὰ τοῖς καταφατικοῖς ἀντικεῖσθαι νομίζουσιν·* id quod affirmatur a Sexto Empirico, VIII. 89. adv. Math. *Φασίν, ἀντικείμενά ἐστιν, ὧν τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου ἀποφάσει πλεονάζει, οἷον, ἡμέρα ἔστιν, οὐχ ἡμέρα ἔστι· τοῦ γὰρ ἡμέρα ἔστιν ἀξιώματος, τὸ οὐχ ἡμέρα ἔστιν ἀποφάσει πλεονάζει, τῇ οὐχί· καὶ διὰ τοῦτο ἀντικείμενόν ἐστιν ἐκείνῳ. — Ἀλλὰ σὺν τούτῳ ἀντικείμενά ἐστι τῷ τὴν ἀπόφασιν προτετάχθαι τοῦ ἑτέρου· τότε γὰρ καὶ κυριεύει τοῦ ὅλου ἀξιώματος.* "Opposita sunt, inquiunt Stoici, quorum alterum negationem habet, alterum non; ut *dies est, non dies est*; pronuntiatum enim *dies est* non habet negationem, quam habet hoc: *non dies est*, dico *non*; eamque ob causam hoc oppositum est illi; at tunc demum opposita sunt, cum negatio praefigitur alteri, tunc enim dominatur in totum pronuntiatum." Quod deinde ab Aristotele constitutum esse dicitur, oppositorum alterum esse verum, alterum falsum, idem Stoicis acceptum erat. Sext. l. l. §. 88. *Ἀληθές ἐστι κατὰ τοὺς Στωϊκοὺς, ὃ ὑπάρχει τε καὶ ἀντίκειταί τινι, καὶ ψεῦδος, ὃ μὴ ὑπάρχει μέν, ἀντίκειται δέ τινι.* Cum pronuntiatum seu propositio (*ἀξίωμα*) appellati sit species, eius etiam genera habeat oportet; quare quod apud Sextum in uni-

versum profertur, id Simplicius per singula genera secundum temporis diversitatem constituta persequitur f. 103. *B.* *Περὶ δὲ τῶν εἰς τὸν μέλλοντα χρόνον ἀντιφάσεων οἱ μὲν Στωϊκοὶ τὰ αὐτὰ δοκιμάζουσιν, ἅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων· ὡς γὰρ τὰ περὶ τῶν παρόντων καὶ παρεληλυθότων ἀντικείμενα, οὕτως καὶ τὰ μέλλοντα αὐτά τε, φασί, καὶ τὰ μόρια αὐτῶν· ἢ γὰρ τὸ ἔσται ἀληθές ἐστιν ἢ τὸ οὐκ ἔσται, εἰ δεῖ ἤτοι ψευδῆ ἢ ἀληθῆ εἶναι· ὡρίσθαι γὰρ κατ᾽ αὐτὰ τὰ μέλλοντα καὶ εἰ μὲν ἔσται ναυμαχία αὔριον, ἀληθὲς εἰπεῖν, ὅτι ἔσται· εἰ δὲ μὴ ἔσται, ψεῦδος τὸ εἰπεῖν, ὅτι ἔσται· ἤτοι ἔσται ἢ οὐκ ἔσται, ἤτοι ἄρα ἀληθὲς ἢ ψεῦδος θάτερον.* "De contradictionibus ad tempus futurum pertinentibus Stoici eadem sentiunt, quae de ceteris; ut enim in praesentibus et praeteritis opposita, ita etiam futura, cum ipsa, tum eorum partes; etenim aut *erit* verum est aut *non erit;* definitur enim secundum ipsa futura, ut, si erit pugna navalis postridie, futura esse vere dicatur, sin autem non erit, futura esse falso dicatur: aut erit igitur aut non erit; itaque aut verum est alterum aut falsum." At genera enumerare non huius est loci, quo non de pronuntiatis disputetur; quare in negationis indole explicanda acquiescere possumus; quo pertinet Simplicii locus f. 102. *Z.* *Καὶ οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς δὲ διϊσχυρίζονται, ὅτι οὐδὲν τῶν κατὰ ἀπόφασιν λεγομένων οὐδενί ἐστιν ἐναντίον. Ἣν γὰρ ἂν τῇ ἀρετῇ ἐναντία ἡ οὐκ ἀρετὴ καὶ τῇ κακίᾳ ἐναντία ἡ οὐ κακία,*

ὑπὸ μὲν τὴν οὐκ ἀρετὴν καὶ τῆς κακίας πιπτούσης καὶ ἄλλων πολλῶν· καὶ γὰρ λίθου καὶ ἵππου καὶ πάντων τῶν παρὰ τὴν ἀρετήν· ὑπὸ δὲ τὴν οὐ κακίαν καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῶν ἄλλων πάντων· ἔσται οὖν ἑνὶ πάντα ἐναντία, καὶ τὰ αὐτὰ τῇ ἀρετῇ καὶ τῇ κακίᾳ ἐναντία· εἰ μὴ ἡ ἀρετὴ τῇ κακίᾳ ἐναντία, ἀλλ' ἡ οὐ κακία, συμβήσεται καὶ σπουδαίοις μέσα ἐναντία εἶναι καὶ φαύλοις. Ἄτοπον δὲ τοῦτο καὶ μάλιστα, εἰ καὶ τὰ αὐτὰ καὶ μή, καὶ τὸ δυοῖν ἐναντίων ὑφ' ὃ μεν πάντα τὰ ὑποπίπτοντα ποιότητας εἶναι, ὡς ὑπὸ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν κακίαν, ὑφ' ὃ δὲ καὶ ποιότητας καὶ ποιά, ὡς ὑπὸ τὴν οὐκ ἀρετὴν καὶ τὴν οὐ κακίαν· ὑπὸ ταύτας γὰρ καὶ ποιότητες καὶ ποιὰ καὶ ἐνέργειαι καὶ πᾶν ὁτιοῦν ἐστι, καὶ ἔστι τοῦτο ἀπεμφαῖνον. Οὕτως μὲν οὖν παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς διώρισται τά τε ἐναντία καὶ τὰ ἀντιφατικῶς ἀντικείμενα. "Stoici quoque affirmant, nihil eorum quae secundum negationem dicuntur, cuiquam esse contrarium. Nam si virtuti contraria esset non-virtus atque malitiae contraria non-malitia, in non-virtutem tum malitia caderet, tum multa alia; etenim et lapis et equus et omnia praeter virtutem; eodem modo in non-malitiam cum virtus, tum omnia cetera. Erunt igitur uni omnia contraria et virtuti atque malitiae eadem; siquidem malitiae non contraria est virtus, sed non-malitia, accidet, ut media studiosis et ignavis contraria sint; quod absurdum est, praesertim si et eadem et non; praeterea duorum contrariorum in alterum quae cadant, esse qualitates, ut quae in

virtutem et malitiam; quae vero in alterum cadant, ea esse et qualitates et qualia, sicut in non-virtutem et non-malitiam, in quas et qualitates et qualia et actiones et quaecunque sint, cadant, non minus inconcinnum est. Hac ratione etiam apud Stoicos definita sunt cum contraria tum contradictoria." Hoc loco Stoici satis aperte produnt, negationem non appellatis tantum, sed cuivis notioni adhiberi posse, qua ratione proprium divisionis genus exsistit, quod supra tractavimus in fine capitis superioris; quod ut intelligeretur, contradictorie opposita, quae efficiunt id, a contrariis distinguenda erant, quod factum est loco Simplicii allato. At deest locus, qui doceat, quid inter privative et negative vel contradictorie opposita intersit, quare ex negationis notione supplendum est. Privative opposita ut contradictoria ad idem substratum utraque pertinent, diverso autem tempore, ut visus et caecitas, sedet et non sedet; illa vero praesentiam et absentiam indicant, haec veri et falsi discrimen constituunt.

In categoriis et rerum divisione ubique conspici contrarietatem ostendi, primis divisionis generibus exceptis; etenim si aliquid aut ens aut non-ens esse dicitur, haec contradictoria est oppositio, quae etiam omitti potest, ut aliquid aut corpus sit aut incorporeum; ex voluntate enim hominum pendere videtur negatio, contrarietas autem ipsa rerum natura nititur.

Caput V.

Contraria ad aliquid relata.

Sicut affirmatio et negatio etiamsi ad omnes categorias extensa est, proprie ad tertiam pertinere videtur, ita hoc quartum sive contrariorum sive oppositorum genus quartae categoriae respondet. Etenim cum sola negativa et affirmativa e Stoicorum sententia recte quidem *opponi*, neque vero *contraria* esse dicantur, utrum vocabulum universalius omnia genera amplectatur, discerni non potest; quamquam apud Stoicos contrarietatis nomen latius patuisse videtur, apud Aristotelem oppositionis, de quo discrimine jam prius disputavi; fortasse contrarii nomen genera priora, oppositi posteriora amplectitur. Neque potui non mirari, quod Simplicius de hoc genere e libris Stoicorum omnino nihil addidit, nisi forte non fuit, quod adderet, quia in hac parte Stoici nihil novi invenerint. Quae cum ita sint, Aristotelis sententiae breviter expositae conferam, quae ex quarta categoria de hoc loco colligi possunt.

Aristoteles etsi breviter, tamen aperte ita disputat c. VIII. §. 4. *Ὅσα μὲν ὡς τὰ πρός τι ἀντικεῖται, αὐτά, ἅπερ ἐστί, τῶν ἀντικειμένων λέγονται ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς αὐτά· οἷον τὸ διπλάσιον αὐτό, ὅπερ ἐστίν, ἑτέρου λέγεται· τινὸς γὰρ διπλάσιον, τοῦ*

ἡμίσεος *). *Καὶ ἡ ἐπιστήμη δὲ τῷ ἐπιστητῷ, ὡς τὰ πρός τι ἀντικεῖται· καὶ λέγεταί γε ἡ ἐπιστήμη αὐτό, ὅπερ ἐστί, τοῦ ἐπιστητοῦ· καὶ τὸ ἐπιστητὸν δὲ αὐτό, ὅπερ ἐστί, πρὸς τὸ ἀντικείμενον λέγεται, τὴν ἐπιστήμην· τὸ γὰρ ἐπιστητὸν τινὶ λέγεται ἐπιστητόν, τῇ ἐπιστήμῃ. Ὅσα οὖν ἀντίκειται ὡς τὰ πρός τι, αὐτά, ἅπερ ἐστί, τῶν ἀντικειμένων ἢ ὅπως δήποτε πρὸς ἄλληλα λέγεται. Τὰ δὲ ὡς ἐναντία, αὐτὰ μέν, ἅπερ ἐστίν, οὐδαμῶς πρὸς ἄλληλα λέγεται· ἐναντία μέντοι ἀλλήλων λεγνται· οὔτε γὰρ τὸ ἀγαθὸν τοῦ κακοῦ λέγεται ἀγαθόν, ἀλλ' ἐναντίον· οὔτε τὸ λευκὸν τοῦ μέλανος λευκόν, ἀλλ' ἐναντίον· ὥςτε διαφέρουσιν αὗται αἱ ἀντιθέσεις ἀλλήλων.* "Quae ut ad aliquid relata inter se opponuntur, quod ipsa sunt, oppositorum esse dicuntur, vel quacunque ratione ad ea referuntur, sicut duplum, quod ipsum est, alterius dicitur, alicuius enim duplum est, dimidii. Etiam scientia scibili, ut ad aliquid relata, opponitur, atque dicitur scientia, quod ipsa est, scibilium; scibile et ipsum, quod est, ad oppositum relatum i. e. ad scientiam dicitur; scibile enim alicui scibile esse dicitur, scientiae; quae igitur, ut ad aliquid relata inter se opponuntur, ea, quod ipsa sunt, oppositorum esse dicuntur aut, quacunque ratione alterum ad alterum referuntur. Contraria

---

*) Pacius (*C.* X. 4.) exhibet: *οἷον τὸ διπλάσιον τοῦ ἡμίσεος* etc. ego secutus sum Lewaldi conjecturam p. 141. in lectionis varietate propositam.

vero id, quod ipsa sunt, nunquam altero ad alterum referendo dicuntur, sed alia aliis contraria esse dicuntur, neque enim bonum mali bonum esse dicitur, sed contrarium, neque album nigri album, sed contrarium, ut differant inter se hae oppositiones." Quam relatorum *oppositionem* si cum quarta Stoicorum categoria conferimus, eadem, quae Aristoteles relatione oppositorum genera fecit, a Stoicis retenta atque accuratius definita esse suspicor, quamquam unum addiderint oportet, parium dico genus. E simpliciter enim relatis ea tantum huc pertinent, quae non simul contraria sunt, ut bonum et malum, nigrum et album, dulce et amarum, quippe quae diserte excludantur. Ea autem simpliciter relatorum, quae nullam continent contrarietatem, sed ut scientia et scibile inter se referuntur, hic repetita sint oportet. Quae vero mutua relatione opposita esse dicuntur, ut dimidium dupli et duplum dimidii, e Stoicorum mente ad aliquo modo relata pertinent. Eiusdemmodi sunt pater et filius, dexter et sinister, majus et minus, in quibus relatio est imparium; quamquam paria non minus ipsa relatione sunt opposita, amicus enim amici amicus. Quae vero aliquo modo relata inter se sunt *contraria*, ut infusio et effusio, in hoc oppositionis genus cadere non possunt. Tria igitur ita efficiuntur relatione oppositorum genera, quae cum eadem apud Archytam reperiantur, hunc de iis cum Stoicis convenisse vel ex his ea de-

prompsisse puto. Quare locum ex Archyta de hac re excerptum adscribere non dubitavi, qui legitur apud Simpl. f. 97. *Δ*. *Τῶν δὲ πρός τι τὰ μὲν ἀντιστρέφει ἀλλάλοις ἐξ ἑκατέρων, ὡς τὸ μέζον καὶ τὸ μεῖον καὶ τὸ ἀδελφὸν καὶ τὸ ὅμοιον· τὰ δὲ ἔχει μὲν ἀντιστροφάν, οὐ μὰν ἐξ ἀμφοτέρων γε τῶν μερῶν, ἅμα γὰρ ἐπιστάμα λέγεται τῶ ἐπιστατῶ* *) *καὶ αἴσθασις τῶ αἰσθατῶ·* *) *οὐ μὰν ἀνάπαλιν τὸ ἐπιστατὸν τᾶς ἐπιστάμας καὶ τὸ αἰσθατὸν τᾶς αἰσθάσιος· τὸ δὲ αἴτιον, ὅτι τὸ μὲν κρινόμενον ἄνευ τοῦ κρίνοντος δυνατὸν ἦμεν, οἷον τὸ αἰσθατὸν ἄνευ αἰσθάσιος καὶ τὸ ἐπιστατὸν ἄνευ ἐπιστάμας· τὸ δὲ κρίνον ἄνευ τῶ κρινομένω ἀδύνατον ἦμεν, οἷον τὰν αἴσθασιν ἄνευ τῶ αἰσθατῶ καὶ τὰν ἐπιστάμαν ἄνευ τῶ ἐπιστατῶ. Τῶν δὲ ἐξ ἀμφοτέρων ἐχόντων τῶν μερῶν τὰν ἀντιστροφὰν τὰ μὲν ἀδιαφόρως ἀντιστρέφει ἀλλάλοις, ὡς τὸ ὅμοιον καὶ τὸ ἴσον καὶ τὸ ἀδελφόν· τοῦτο γὰρ τούτω* *) *ὅμοιον καὶ τοῦτο τούτω* *) *πάλιν καὶ τοῦτο τούτω* *) *ἴσον καὶ τοῦτο τούτω* *) *ἀδελφόν· ἃ δὲ ἀντιστρέφει μὲν ἀλλάλοις ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν οὐ μὰν ἀδιαφόρως· τοῦτο μὲν τούτω* **) *μέζον, τοῦτο δὲ τούτω* **) *μεῖον καὶ οὗτος μὲν τούτω πατήρ, οὗτος δὲ τούτω υἱός.* "Eorum, quae relata sunt, alia

---

*) In hisce pro dativo, qui legitur in libris, restitui genitivum Doricum, qui alibi integer exstat in iisdem exemplis. Cf. p. 136.

**) In his Doricam genitivi formam restitui pro communi, quae in libris legitur.

converti possunt ab utraque parte, ut majus et minus, frater atque par, alia conversionem quidem admittunt, neque tamen ab utraque parte; scientia enim dicitur scibilium et sensus sensibilium, neque vero vice versa scibile scientiae sensibile sensus; cuius rei causa est, quod quae discernuntur, ea quidem esse possunt, nemine discernente, ut sensibilia sine sensu, scibilia sine scientia; discernens vero sine iis, quae discernuntur, esse non potest e.g. sensus, sensibilibus deficientibus, scientia deficientibus scibilibus. Eorum autem, quae ab utraque parte habent, conversionem, alia, nulla interveniente differentia, converti possunt, cuiusmodi sunt par, aequale, frater, hoc enim huius par atque hoc rursus huius et hoc huius aequale et hoc huius fraternum, alia converti quidem possunt ab utraque parte, intercedente autem differentia, ut hoc huius *) majus, hoc huius minus, hic huius pater, hic denique huius filius."

Si jam quaerimus, quomodo ad ceteras categorias hoc oppositionis genus pertineat, id non in ipsis categoriarum generibus subdivisis reperiri, jam manifestum est, quippe quae inter se contraria esse docuerimus; quamquam differentia tres poste-

*) Elegi hanc constructionem etsi rarissimam cum perspicuitatis tum constantiae causa. Cf. Stallbaum ad Ruddimann. II. p. 85. n. 30. sub finem.

riores categorias attingens illo niti videtur; quae enim oppositio est inter relationem et relatum e. g. scientiam et scibile, sensum et sensibile, eadem vel similis reperitur inter qualitatem et quale, inter scientiam et scientem, sensum et sentientem, inter artem et artificem; neque alius notionum connexus esse videtur, qui obtinet inter ipsum aliquo modo se habere, et ea, quae ita se habent e. g. inter sessionem et sedentem, inter sectionem et secantem. In prima categoria hanc differentiam non invenio, quamquam cogitari potest, interesse enim aliquid videtur inter ipsum *substratum* esse (ὑποκεῖσθαι) et *substrati* notionem (ὑποκείμενον). Neque ad categorias tantum pertinet huiusmodi oppositio, sed ad ipsa cetera oppositionis genera; eodem enim modo diversa sunt contraria ab illo contrarie se habere, privativa et habentia ab illo privative se habere, negativa et affirmativa ab illo negative et affirmative se habere. In hisce autem omnibus cernitur oppositio eorum, quae non ab utraque parte converti possunt, prius relationis genus efficientia; quae enim ab utraque parte converti possunt, sive intercedente differentia sive non, omnia ad posterius quartae categoriae genus referenda sunt, ut pater, filius, par, aequalis.

Restat, ut contrariorum genera in tabulam referam, quo juxta se posita magis elucescant:

ἐναντία

[ἐναντία] — [ἀντικείμενα]

ἐναντίως	στερητικῶς	ἀντιφατικῶς	πρός τι
ἀμέσως-μέσως	[ἀμέσως-μέσως]	[ἀμέσως-μέσως]	ἀντιστρέφοντα
1. ἕξεων καὶ σχέσεων καὶ ἐνεργειῶν	στέρησις	1. παρεληλυθότων	1. οὐκ ἐξ ἑκατέρων
2. κατηγορημάτων	1. φυσική	2. ἐνεστώτων	2. ἐξ ἑκατέρων
3. μεσοτήτων	2. ἠθική	3. μελλόντων	ἀδιαφόρως
	3. καθήκοντος		διαφόρως
	4. ὁμωνύμων		
	γένους-εἴδους		

PARS QUARTA.

Doctrina de categoriis, de divisione et oppositione e totius philosophiae dispositione probata et firmata.

Caput I.

Categoriarum usus in universum adumbratus.

In recentioris philosophiae historia mediocriter tantum versatum fugere non potest similitudo, quae intercedere videtur inter Stoicas et Cantianas categorias, quarum quidem nomina, neque tamen quidquam aliud, eadem sunt, prima excepta, quae a Cantio quantitas dicitur. Cantianae etsi saepius cum ad notiones tum ad vocabulorum genera adhibitae sunt, ex propria tamen indole ad judicandi facultatem pertinent et judiciorum formas constituunt: Stoicae contra ipsorum notionum genera efficiunt; Cantius praeterea in categoriis constituendis a mente humana profectus est: Stoici vero

principium earum e rebus extra nos positis petiverunt, ipsas igitur non, ut Cantius, ab initio subjectivas, ut ita dicam, sed objectivas habentes, inde in mentem acceptas hominibus et Diis communes putaverunt. Itaque non in ethice tantum et physice, sed in logice quoque has ambas copulante eaedem sunt. Unde apparet, categorias Stoicas definitionibus etiam esse fundamento, quod cum ex ipsarum indole intelligitur, tum exemplis et ostensum est et ostendetur. Non omnes quidem definitiones, quae exstant, ad summa genera in categoriis constituta referuntur; multae enim ex introductionibus depromptae minus elaboratae pro descriptionibus potius sunt habendae, quae minus accurate et distincte proferuntur, communi intellectui accommodatae (Diog. VII. 60.). Si quae vero ad artis regulas constituuntur, harum in capite poni solent notiones simplices categoriarum systema efficientes aut ipsae per se solae aut uni e tribus philosophiae partibus applicatae aut denique genera his supposita; definiendo enim notiones non ad summa quaeque et extrema genera referantur necesse est, sed ad proxime superposita, quam definiendi legem e Stoicis servavit Schol. ad Dionys. Thrac. in Bekkeri anecd. Vol. II. p. 663. *Ὀφείλομεν δὲ γένη ἐν τῷ ὅρῳ τιθέναι τὰ ἐγγυτάτω, οὐ τὰποῤῥωτάτω· ὀφείλει γὰρ ὁ τὸν ἄνθρωπον ὁρίζων μὴ λέγειν, ὅτι ἄνθρωπός ἐστιν οὐσία λογικὴ θνητὴ καὶ τὰ ἑξῆς, ἐπειδὴ τὸ οὐσία ἀπέχει, κἂν γένος τοῦ*

ἀνθρώπου ἐστί· διὰ μέσου γὰρ τοῦ ζώου ἐστὶ γένος τοῦ ἀνθρώπου ἡ οὐσία, δέον τὸν ὁριζόμενον τῷ ἐγγυτάτω γένει κεχρῆσθαι, λέγω δὴ τῷ ζώῳ. Ὅθεν ὁ Χαῖρις οὐκ ὀρθῶς ὡρίσατο τὴν γραμματικήν, λέγων· γραμματική ἐστιν ἕξις ἀπὸ τέχνης καὶ ἱστορίας διαγνωστικὴ τῶν παρ' Ἕλλησι λεκτῶν· καὶ γὰρ ἀπέχοντι γένει ἐχρήσατο· διὰ μέσου γὰρ τῆς τέχνης ἐστὶν ἡ ἕξις τῆς γραμματικῆς γένος. Τῆς μὲν γένος ἐστὶν ἡ καθόλου τέχνη. τῆς δὲ τέχνης ἡ ἕξις, ὡς δηλοῖ καὶ ὁ Ζήνων, λέγων· τέχνη ἐστὶν ἕξις ὁδοποιητική, τουτέστι δι' ὁδοῦ καὶ μεθόδου ποιοῦσά τι. Exemplis hoc loco allatis simul probatur, quod contendimus, genera deinceps alia aliis superposita categoriis finiri et circumscribi.

Multi Stoicorum, qui etiam arti oratoriae sensu arctiore hic accipiendae operam navarunt, ad eius partes varias varie hanc definiendi rationem applicabant. Priusquam causa dici poterat, quaestio constituenda erat, quae status causae vocabatur, de quo varias variorum rhetorum et philosophorum sententias prodidit Quinctilianus Inst. III. 6. Ipsi Stoici diversis de hac re sententiis usi esse dicuntur, e quibus solus Posidonius accurate notionum genera secutus esse videtur. "In duo (inquit Quinct. §. 37.) et Posidonius dividit, *vocem* et *res*. In voce quaeri putat, *an significet, quid, quam multa, quo modo*; in rebus *conjecturam*, quod κατ' αἴσθησιν vocat; et *qualitatem*, et *finitionem*, cui nomen dat κατ' ἔννοιαν,

et *ad aliquid.*" Vox hic non minus quam res secundum categorias cernitur. Quaerenti enim, num quid vox significet necne, ad litteras respiciendum est et sensum *substratum;* sin autem, quid significet, quaeritur, notio est spectanda, quam vocis esse *qualitatem* cognovimus; deinde si, quam multa, ad notionum varietatem et amplitudinem respicitur, ex qua *vario modo* se habere videntur dicta; quomodo denique quid significatum sit, si quaerimus, quomodo significans ad significatum *referatur*, in quaestione versatur. Inde etiam Antonini locus interpretandus est, ubi de scripto, opinor, meditans haec in memoriam revocat (VIII. 22.): *Πρόσεχε τῷ ὑποκειμένῳ ἢ τῷ δόγματι ἢ τῇ ἐνεργείᾳ ἢ τῷ σημαινομένῳ; substratum* enim est res, de quo disseritur; decretum, scriptoris de hac re sententia, *quale;* vis verborum e connexu conspicua *aliquo modo se habet;* significatum est verborum ad sensum *relatio.* Ut ad Posidonium redeamus, in quaestione de *rebus* constituenda magis etiam perspicuae sunt categoriae. Conjectura enim, quae non multo post de substantia esse dicitur, e Stoica ratione ad rem *substratam* pertinet, quod indicat *κατ' αἴσθησιν.* *Qualitas* jam ipsa profertur. Finitio, quae sequitur, si res casu quodam nitatur, causam accuratius definiisse videtur ideoque in conditione *aliquo modo se habentium* versabatur. *Ad aliquid* rursus ipsum eodem nomine hic repetitum legitur.

A causae statu diversa est argumentorum quaerendorum ratio, quam quidem Cicero in Topicis ad Aristotelis mentem ita proposuit, ut pro priore logices parte eam habeat. Hanc inveniendi artem ex Aristotelis sententia constitutam a Stoicis omissam questus, ad horum ipsorum mentem constituere conatus est (c. 2. §. 6.). Hos deinde locos vel argumentorum sedes §. 8. proponit: "Sed ex his locis, in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso, de quo agitur, haerent: alii assumuntur extrinsecus. In ipso, tum ex toto, tum ex partibus eius, tum ex nota, tum ex his rebus, quae quodammodo affectae sunt ad id, de quo quaeritur." Qui loci praeter tertium aperte ad categorias constituti sunt, quod tamen non minus de ipso tertio praedicandum est. Totum, quod in definitione agnoscitur e Stoicorum sententia, est substratum. Partes esse qualitates, ipse Cicero indicat, eas species, formas, Graece ἰδέας appellans (§. 30.). In notatione seu nominis vi, aliquo modo se habendi rationem agnoscis, si notionem eandem alias alia notari voce tenes ad loquentis arbitrium, quamquam hoc locorum genus Cicero nimis arctis finibus circumscripsisse dicitur apud Quinct. V. 10. 62. Quo quidem loco Quinctilianus ceterum Ciceronem secutus quartum genus ipsum *ad aliquid* vocat, quod, ut cetera, ad categorias esse constitutum, e generibus subdivisis non minus apparet, quae ad finem Partis primae

e Cicerone attulimus. Ceterum nec Ciceronis libros rhetoricos ad categorias illustrandas laudavi neque Quinctiliani, qui eandem rem multo accuratius persecutus est; etenim quantum rhetores in suum usum mutarint, omiserint, addiderint, nescimus. Cicero enim etsi logices partem adumbrandam sibi proponit, inscius tamen in rhetoricen et jurisprudentiam incidit. Quinctilianus eundem quidem tenet ordinem, genera tamen superposita aliter vel minus accurate constituit (V. 10. 23.); nostra tamen eademque Ciceronis agnoscit §. 62.; ad quae etiam genera subdivisa redigi possunt, quae §. 94. repetit.

Si ad omnia singula adhibentur haec notionum genera, non minus ad ipsam philosophiam et totam et ad eius partes applicata sint necesse est, ut quasi vincula totum continerent systema, quippe quae ei jam vacillanti a Chrysippo, qui Stoam fulcire putatus sit, addita esse videantur. Propter magnam Stoicorum dissensionem in partibus philosophiae jam nunc persequendis, quantum fieri potest, unius Chrysippi vestigia sequar.

Caput II.

Logices divisio.

Duae in posteriore introductionis parte divisiones logices propositae sunt, quae tamen eodem redeunt. Secundum Sextum (adv. Math. VIII. 12.)

logice versatur aut in iis, quae sensibus occurrunt (τυγχάνουσι) seu substratis (ὑποκειμένοις), quae nostrates objecta vocant, aut in significantibus (σημαίνουσι) seu voce, aut denique in significatis (σημαινομένοις) seu rebus (πράγμασι) seu appellatis (λεκτοῖς). Prima pars, quae etiam περὶ κανόνων καὶ κριτηρίων et περὶ φαντασιῶν inscribitur, historiam animi humani se quasi explicantis vel ad perfectam sapientis conditionem progredientis describit. Partes ambae posteriores secundum Dioclem apud Diogenem (VII. 55 et 62.) dialectices nomine in unum conjunctae, singulas animi facultates ad cogitationem pertinentes exponunt, quarum utraque cum duplex sit, quatuor exsistunt dialectices partes, quae mea quidem sententia categoriis respondent, ita tamen, ut in prioribus duabus corporea tantum, in posterioribus sola incorporea tractentur, quod neque a categoriarum ratione abhorret, in quarum prioribus eodem modo corporea principatum tenent, in posterioribus incorporea. Quatuor dialectices partes, quae quomodo ortae sint, supra dictum est, secundum systematis ordinem ita se excipiunt: 1) περὶ φωνῆς, 2) περὶ ὅρων καὶ εἰδῶν καὶ γενῶν, 3) περὶ πραγμάτων, 4) περὶ συλλογισμῶν, quae si e categoriarum indole constitutae sunt, vox est dialectices substratum, definitiones, species et genera eiusdem qualitates efficiunt, res seu appellata aliquo modo in ea se habent, syllogismi denique relationem indicant.

Plutarchus de Placit. Philos. IV. 21. hanc profert *vocis* definitionem: *Τὸ δὲ φωνᾶεν ὑπὸ Ζήνωνος εἰρημένον, ὃ καὶ φωνὴν καλοῦσιν, ἐστὶ πνεῦμα διατεῖνον ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ μέχρι φάρυγγος καὶ γλώττης καὶ τῶν οἰκείων ὀργάνων.* "Vocale a Zenone nominatum, quod etiam vocem usurpant, spiritus est a parte animi principali usque ad guttur et linguam aliaque instrumenta loquelae peculiaria extensus." Quam definitionem inprimis Chrysippo esse vindicandam, docent quae ex eius libris de animo supersunt apud Galenum (de Platonis et Hippocratis decret. Vol. V. p. 345. ed Kühn. I. p. 272. ed. Bas.). Spiritus est ens, quare haec vocis definitio secundum categorias ad ens referatur necesse est. Cum ens sine essentia esse nequeat, quae eius essentia sit, quaerendum est. Eam in Diogenis definitione VII. 55. indicatam esse suspicor: *Ζώου μέν ἐστι φωνὴ ἀὴρ ὑπὸ ὁρμῆς πεπληγμένος· ἀνθρώπου δέ ἐστιν ἔναρθρος καὶ ἀπὸ διανοίας ἐκπεμπομένη·* petitus animi, a quo aër verberatur, spiritus esse videtur ille, quem vocis ens nuncupavi, ut ipsi aër pro essentia sit habendus. Ambo conjuncta efficiunt substratum neque disjuncta cogitari possunt, etsi utrumque per se in disquisitionem vocatur. At in hisce mihimet ipse viderer rebus vim afferre, nisi Plutarchus, vocem ut substratum definiens, in ea ens et essentiam aperte discerneret de Placit. Philos. IV. 20., ubi hanc Stoicorum de voce sententiam profert: *Οἱ*

δὲ Στωϊκοὶ σῶμα τὴν φωνὴν [λέγουσι]· πᾶν γὰρ τὸ δρώμενον ἢ καὶ ποιοῦν σῶμα· ἡ δὲ φωνὴ ποιεῖ καὶ δρᾷ· — ἔτι πᾶν τὸ κινούμενον σῶμά ἐστι· κινεῖται δὲ ἡ φωνή. Si huc usque recte disputavi, triplex est vocis definitio, aut quatenus integra ex ente et essentia composita, aut quoad essentia, aut quoad ens est. Posteriores duae definitiones non minus quidem totum substratum amplectuntur, altera vero ab altera parte; a qua ratione neque connexus locorum, quos attuli, abhorret, Plutarchus enim loco posteriore de voce universa disputat, in priore de voce ut parte animi, qui et ipse spiritus ei spiritum impertitur, Diogenes contra de voce agit, quae auditu percipitur. Entis tamen et essentiae discrimen apud ipsum Diogenem agnoscitur; quippe quo nitatur logici loci linguam tractantis subdivisio. Vox enim spectatur, aut quatenus vario modo auditum afficit, sensus, qui ei insit, ratione non habita, tumque dictio vocatur (λέξις), aut quatenus ei sensus inest, et oratio (λόγος) vocatur. (Diog. VII. 56 et 57.). Dictio essentiae seu materiae indolem prae se fert, oratio entis seu potentiae. Utraque rursus duplex est; in dictione enim distinguitur a litteris, quae vocabulorum materiam efficiunt, litterarum compositio, ex qua procedunt vocabula ipsa; eodem modo in oratione aut elementa spectantur seu partes orationes earumque conjungendi rationes aut sententiae, quae oratione continua exprimuntur. (Apoll. de

synt. init.). Quae divisio Chrysippo vindicatur, si index librorum §. 192 et 193. cum Dioclis epitome (§. 56—60.) confertur. Litterae aperte toti de voce parti sunt substratae, quae certis formis indutae et vocabula efficientes e notionum ratione ad genera certa redactae quales sunt *). De litteris per se acceptis Chrysippus non peculiares libros composuisse videtur; de formis et generibus scripta sunt, quae primo grammaticorum volumini (*συντάξει*) index tribuit (§. 192.); quod et inscriptiones librorum docent et quae ex libro *περὶ ἀνωμαλίας* servata sunt apud Varronem (de ling. Lat. l. VIII. init.). Tertia sectio loci de voce inscripti, quae prior est partis de oratione tractantis, constructionem, quam syntaxin appellamus, exponit, in secundo volumine de voce scriptorum contenta (§. 193.). In qua si eaedem orationis partes tractatae esse dicuntur, quae in antecedente, certe non eadem ratione in disquisitionem vocatae sunt; secunda enim sectione formarum ratio habetur, hic vocabulorum, quae ad enuntiandum aliquid necessaria inter se connexa aliquo modo se habent. Sectio quarta, quae, num bene recteque sententiae expressae sint, inquirens, de orationis virtutibus et vitiis disputat (§. 59.), volumine

*) Inde proficiscitur vocabulorum divisio e declinatione petita, quam servavit Varro de L. L. ed. Bip. VII. p. 114.

tertio comprehensa est (§. 193.). Cum partes orationis a Zenone constitutae ita cum categoriis consentiant, ut Stoici posteriores has cum illis confuderint (cf. p. 22.), hic longius est excurrendum. Teste Dionysio Halicarnasseo Zeno eiusque discipuli primi quatuor vocabulorum genera constituerunt, quae aperte categoriis respondent: articulum (ἄρθρον), nomen (ὄνομα), verbum (ῥῆμα), et conjunctionem (συνδεσμόν). Articulus, qui etiam pronomina comprehendit (Prisc. p. 910.), aperte substrata indicat (Apoll. Alex. de pron. p. 9. *B.*). Nomine significari qualitatem, eius definitio docet (Diog. VII. 58.). Neque minus verbo exprimi aliquo modo se habens, inde apparet, quod *ἀσύνθετον κατηγόρημα* definitur. Haec si vera sunt, in conjunctione esse relationem, sponte sequitur. At hae orationis partes sunt vocis, quatenus haec aut definitis formis aut verborum continuitate spectatur; categoriae contra notionum sunt genera per se spectatarum, quae, etsi diversis vocabulorum formis exprimuntur, in eadem tamen categoria manent. (Cf. p. 118 et 145.) Vocabula cum notiones exprimant, ex harum quidem generibus et ipsa dividi possunt, sed cum eadem saepe diversas notiones significent, illorum indolem exuerunt. Quo pertinet Stoicorum de anomalia doctrina, quam Varro commemorat de ling. Lat. l. VIII. init. "Chrysippus homo acutissimus reliquit sex libros *περὶ τῆς ἀνωμαλίας*. His libris contra

analogiam atque Aristarchum *) nixus est. — De inaequalitate cum scribit sermones, propositum habet ostendere, similes res dissimilibus verbis et similibus dissimiles esse vocabulis notatas." Hac de causa Stoici partes orationis ad numerum augere potuerunt, numero categoriarum non mutato. Chrysippus enim a nomine, quod prius omnia substantiva et adjectiva amplexum erat, sejunxit appellativa (προςηγορίας), ad quae nomina communia et adjectiva pertinerent, nomina nuncupans ea, quae nunc propria cognominantur, propterea, credo, quod haec qualitatem *singularem* significantia praeter qualitatem simul substratum indicant. Antipater sextum constituit genus, adverbiorum, quae prius verbis annumerata, cum saepe appellativorum munere fungantur, medietatum nomine (μεσότητες) segregata sunt (Diog. VII. 57. Prisc. p. 574.). At jam diutius commoratus ad sequentia transeo.

Secunda pars περὶ ὅρων καὶ εἰδῶν καὶ γενῶν inscripta eo jam difficilior evadit, quod communi caret inscriptione, quae qualitatem indicet vel ad eam referri possit, quamquam, quod vox sensu latiore hunc de definitione, specie et genere locum

*) Mirum sane, nisi pro Aristarcho eius sententia est intelligenda, ipse enim Cratetis demum aetate vixisse dicitur (Suid. s. v. Κράτης. Cf. Van Lynden de Panaetio. I. §. 6.)

complectitur, hic quoque de corporalibus esse sermonem apparet, quippe quae, cum non substrata sint, nihil aliud quam qualia esse possint. Notionem, quae definitiones, species et genera contineat, non aliam in Stoica philosophia reperire potui, quam ipsius *notionis* (ἐννοήματος); quare hunc locum etiam περὶ ἐννοημάτων aut inscriptum esse aut inscribi potuisse suspicor. Notiones quidem nec *aliqua* nec *qualia* esse dicuntur, ne per se praeter mentem humanam exsistere putentur ad similitudinem idearum Platonicarum; vocabulorum enim vel vocis efficiunt qualitates; eodem enim modo ad vocem referuntur, ac formae et qualitates rerum ad harum substrata. Notiones enim ex oratione derivantur, quemadmodum potentiae rerum ex ente. Certe non aliter intelligi potest, quod habitus et dispositiones discernuntur in notionibus constituendis; quo pertinere videtur, quod supra difficilius erat interpretatu in discrimine habitus et dispositionis exponendo ap. Simplic. ad Arist. cat. f. 61. *B.* *Καὶ ἐοίκασι τὴν μὲν ἕξιν ἐν τῷ πλάτει τοῦ εἴδους θεωρεῖν· τὴν δὲ διάθεσιν ἐν τῷ τέλει τοῦ εἴδους.* "Videntur Stoici habitum in extensione speciei cernere, dispositionem in intensione speciei." Extenso enim generis et speciei definitione, intensio autem ipso nomine vel vocabulo exprimitur, quam differentiam a Stoicis positam idem Simplicius alio etiam loco indicat f. 16. *B.* *Καὶ γὰρ τοῦ εἴδους συνῃρημένου καὶ δια-*

κεκριμένου ὄντος, καὶ τοῦ μὲν ὀνόματος τὸ συνῃρημένον, ἤ, ὡς οἱ Στωϊκοί φασι, τὸ κεφαλαιωδὲς δηλοῦντος; τοῦ δὲ ὁρισμοῦ τὸ διακεκριμένον, ἐν τῷ αὐτῷ ἂν εἴη γένει τό τε ὄνομα καὶ ὁ ὁρισμός. "Etenim cum species et comprehensa et explicata sit, nomine comprehensam indicante, vel ut Stoici dicunt summam, definitione explicatam, nomen et definitio erunt in eodem genere," qualitatum, opinor. Species igitur uno nomine expressa est *habitus*, ideoque intendi et remitti vel extendi et contrahi potest, singulis notionibus aut addendis aut omittendis, qua ratione genera aut inferiora aut superiora exsistunt; eadem species definitione explicata et summatim comprehensa *dispositio* est, quae nec intendi nec remitti vel nec extendi nec contrahi potest et certa genera significans necessarias tantum notiones complectitur. Quae omnia si recte disputavi, huius etiam loci subdivisio e qualitatum differentia proficiscitur, prima enim sectio de notionibus et definitionibus disputat, deinde sequitur notionum dispositio in categoriis posita, tum de divisione et oppositione doctrina. Certa denique notionum vis ex etymologicis, proverbiis et poëmatis repetenda est. Cf. Introd. I. p. 34. Restat, ut ex proposito subdivisionem ratione et via repertam et testimoniis affirmatam ad categoriarum discrimen hic quoque eandem esse ostendam. In vocabulis definiendis ipsisque definitionibus, cum ad vocem logicae substratam signi-

ficatio vel notio referatur, substrati rationem esse habitam satis apparet; ipsas categorias notionibus proprias harum esse qualitates, cum locus, quem in notionum adumbratione tenent, secundus, (quo et cum vocabulorum generibus et virtutibus, boni qualitatibus, conveniunt,) atque numerus quatuor, in his omnibus idem, docet, tum quod cum rerum qualitatibus collatae notiones et ipsae *ὡςανεὶ ποιὰ* vocantur, affirmat, tum denique ipsa categoriarum indoles nobis persuadere potest; in divisione notiones aliquo modo se habere videntur, octo enim aliquo modo se habentium genera in ea agnoscuntur, quale dico et quantum et quando et ubi et situm et habendi facultatem et effectionem et passionem, e quibus ultima in appellato comprehenduntur. Quatuor oppositorum genera relationem indicant eiusque generibus congruunt. In etymologicis denique et in proverbiis et carminibus notiones non minus referuntur ad alias notiones, in illis cognatione radicum, in his connexu verborum, quanquam haec omnia e systematis ratione potius ad ultimam grammatices partem pertinere videntur, nisi forte testimonia sunt extrinsecus assumpta extra categorias sita. Cf. Cic. Top. 2. 8.

Vocabula et notiones voce expressae comprehenduntur nomine enuntiativorum (*ἐκφορικῶν*), quibus opponuntur dicta (*λεκτά*) sensu latiore seu significata (*σημαινόμενα*), quae tertium et quartum

dialectices locum complent. Quae differentia etiam in verbis est enuntiandi (προφέρειν seu ἐκφέρειν) et dicendi (λέγειν) Diog. VII. 57. Quae in tertio loco continentur, cum eodem nomine dicta sensu arctiore, tum alio huic loco peculiari res (πράγματα) appellantur. Huiusmodi dictum sive enuntiatum aliquo modo se habere idque incorporale significat, id quod e partis secundae capite quarto intelligitur. Praeterea quae aliquo modo se habentium discrimina exposita sunt, cuncta hic agnoscuntur; quibus accedunt alia, quorum illic mentio non fit, huic logices parti propria; quanquam, cum categoriae tertiae differentias non integras esse, fere pro certo habeamus, difficillimum est ad discernendum, quae ex huius partis indole dividantur, quae ei cum categoria sint communia; praesertim cum tertium *oppositionis* genus accedat ad hanc partem disponendam. Itaque ne diversa commisceam, quae a Diocle de hisce rebus apud Diogenem traduntur, excerpta cum aliquo modo se habentibus conferam. Enuntiatum aut mancum est, praedicatio (κατηγόρημα), aut integrum, propositio (ἀξίωμα); ex quibus haec, cum illam ut partem contineat, illius quoque differentias participet necesse est. Praedicationes igitur et propositiones sunt aut activae (ὀρθά) aut passivae (ὕπτια) aut neutrae aut utraeque; quam divisionem nusquam quidem integram invenias, sed componas e Simplicio (f. 79. *A. B.*) et Diogene (VII. 64.).

Definitiones depromi possunt e Simplicio: *κατηγορήματα ὀρθὰ* dicuntur, *ἅπερ ὡς εἰς ἕτερον ῥέπουσαν ἔχει τὴν κίνησιν*, "quae indicant motionem quasi transeuntem ad aliud." Hisce contrariae sunt praedicationes passivae, *ὕπτια, κατὰ τὴν πρὸς ποιοῦν σχέσιν θεωρούμενα*, quae secundum efficiendi affectionem cernuntur." Cetera genera deinde ita definiuntur: *Ὡς ἔστι καθαρὰ ποίησις ἄλλη παρὰ τὴν ῥέπουσαν εἰς τὸ πάσχον καὶ ἄμικτος πάντη πρὸς αὐτήν, οὕτως ἐστὶ καὶ καθαρὰ πεῖσις τὴν ἐν τῷ πάσχοντι μόνον πεῖσιν περιειληφυῖα, μήτε ἀναφορᾶς μήτε σχέσεως μήτε συζεύξεως πρὸς τὴν ποίησιν ἐφαπτομένη, ὥστε οὐδὲ ὀρθὰ οὐδὲ ὕπτια ταῦτά ἐστιν, ὡς τοῖς Στωϊκοῖς καλεῖν ἔθος. Ἐφ᾽ ὧν γὰρ οὐκ ἔστι τὸ πάθος ἀπολελυμένον τῆς πρὸς τὸ ποιοῦν σχέσεως, ἐπὶ τούτων καὶ τὰ ὀρθὰ καὶ τὰ ὕπτια εἰκότως ἐνομίζετο, τὰ μὲν τὴν ἐνέργειαν εἰς ἕτερον συντάττοντα, τὰ δὲ ὑφ᾽ ἑτέρου τὴν κίνησιν ἐν τῷ πάσχοντι συναρμόζοντα καὶ ἀναφέροντα αὐτὴν πρὸς ἕτερον.* "Sicut pura reperitur effectio diversa ab ea, quae ad patiens transit, neque omnino cum hac mixta, ita etiam passio est pura, passionem solam, quae in patienti est, comprehendens neque relatione neque affectione neque conjunctione cum effectione copulata, ut haec neque activa neque passiva sint secundum Stoicorum loquendi usum. In quibus enim passio non dissoluta est ab affectione efficiendi, haec et activa et passiva creduntur, altera, quae actionem ad alium pertinentem exprimunt, altera, quae alius

motionem patienti adhibent seu ad alium referunt." Haec sex praedicationum genera ad motionis differentias constituta sunt. *Activae* enim *aut passivae ex se* facere et pati indicant; secare enim et secari disjungi non possunt, alterum ad altérum respicit. Praedicationes *nec activae nec passivae* seu *neutrae* aut meram effectionem aut meram passionem indicare dicuntur; quarum illam exemplis illustrat Diogenes l. l. sapere affirmans et ambulare ejusmodi esse; merae autem passionis exemplum depromo e loco infra afferendo, moerere seu lugere, siquidem moeroris causa esse desiit. Haec genera si *per se valere* effectionem et passionem puto, res ipsa sententiam meam affirmat. Quae denique *et activae et passivae* seu *communes* esse dicuntur, *a se* efficiendi et patiendi notionem prae se ferunt, utriusque generis exemplum est *κείρεται,* quod significat, aut: alium tonderi jubet, aut: semet ipsum tondet, de quo exemplo adeundi sunt interpretes Diogenis ad l. l. Cum multae restent praedicationes, quae in genera haec non cadant, alia ex situs (*τοῦ κεῖσθαι*) et habendi (*τοῦ ἔχειν*) notionibus constitutae sint necesse est; quamquam hic non de verborum generibus sermonem esse, tenendum est, quod Stoici disertis verbis monuerunt. Simpl. f. 84. *Δ. Παρατηρεῖν δὲ δεῖ καὶ πότε ὀρθόν ἐστι καὶ πότε ὕπτιον τὸ ἐνέργημα ἢ πάθος· αὐτίκα τὸ μὲν λυπεῖν ὀρθὸν τοῖς πολλοῖς δοκεῖ, τὸ δὲ λυπεῖσθαι ὕπτιον· οὐ μὴν ἀεὶ τοῦτο συμ-*

βαίνει, ὥςπερ ἐπὶ τοῦ τύπτοντος καὶ τυπτομένου, ἐνδέχεται γὰρ μὴ ἀεὶ συνεῖναι τὸν λυποῦντα, οἷον τὸν ἀποθανόντα υἱόν, εἰ ἐπ' αὐτῷ τις λυποῖτο, ἐνδέχεται δὲ καὶ μὴ λυπεῖσθαι, εἰ μὴ ἄρα ἡ φαντασία ποιητικὸν οὖσα καὶ αὐτὴ αἴτιον ἐπιμένει. Ἔστι δὲ ὅταν καὶ παυσαμένου τοῦ ποιοῦντος πάσχει τὸ πάσχον, ἐπιμενούσης τῆς διαθέσεως, ὡς ἐπὶ τοῦ ὑπὸ πυρὸς θερμαινομένου καὶ μετὰ τὴν ἀναχώρησιν τοῦ πυρὸς ἔτι πάσχοντος τὸ θερμαίνεσθαι· διττὸν γὰρ τὸ πάσχειν, τὸ μὲν τῷ ποιεῖν συνηρτημένον, τὸ δὲ κατὰ τὴν διάθεσιν θεωρούμενον· ἴσως δὲ καὶ ἐνταῦθα ἔνδον συνέζευκται τὸ ποιοῦν, ἤτοι ἡ φαντασία ἢ τὸ ἔξωθεν ἐγγινόμενον πῦρ. Τοῖς οὖν πράγμασιν, ἀλλ' οὐ ταῖς λέξεσιν ἐν τῇ τούτων ἐπικρίσει ἀκολουθεῖν καλόν· πολλὴ δὲ ἡ τῶν τοιούτων ἐξεργασία παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς. Hoc quidem loco Simplicii sententia ita cum Stoica commixta est, vix ut altera ab altera discerni possit; communes quidem praedicationes et activas et passivas hic omnino silentio praetermittit, omnia tamen, quae afferuntur, ita e Stoicorum mente disputata sunt, ut prioribus nonnihil lucis impertiant. Hoc certe satis liquet e Stoicorum quoque sententia, non verborum, sed rerum seu cogitatorum hoc loco rationem esse habitam. De praedicationibus ex adjectivo et verbo *esse* compositis cum nihil traditum sit, eas ad cetera huius categoriae genera divisas esse puto, ut aut qualia aut quanta aut temporis rationem (quando) aut loci (ubi) indicarent. Si multa alia in hac

logices parte proferuntur, quae non e tertia categoria proficiscuntur, primo tamen in propositionibus praedicatio est gravior pars, deinde ut in ceteris partibus, ita in hac quoque a tertia categoria ad ceteras respiciendum est, quod in perfectis tantum appellatis seu propositionibus fieri potest, quod factum esse, index librorum Chrysippeorum est testis, in quo si hanc partem persequimur, apparet, libris, qui primo enumerantur, quatenus substratum in propositionibus cerneretur, expositum esse. Quod enim propositiones aut simplices aut compositae, aut possibiles aut impossibiles, aut verae aut falsae, aut necessariae aut non sunt, id ad mentem respicit omnibus cogitationibus substratam (§. 190. 191.). Si affirmationis et interrogationis, omniumque modorum, qui nunc vocantur, differentias pro qualitatibus habemus, ad testimonium ex indicis ordine et rei indole petendum (§. 191.) accedit Quinctiliani auctoritas, qui modos qualitates esse putatas tradit (Inst. orat. I. 5. 41. cf. I. 4. 27. Spalding ad l. priorem.). Praedicationes e propria sua indole aliquo modo se habere diximus. Propositionum relatio duplex est aut subjecti ad praedicatum, de qua in quarta categoria locuti sumus, aut objecti ad praedicatum, ex qua casuum rationes oriuntur, quas idem index huic loco vindicat (§. 192.).

Quarta et ultima dialectices pars, quae in vero comprobando et falso refutando versatur,

περὶ συλλογισμῶν inscripta, si indicem librorum Chrysippeorum et Dioclis epitomen comparamus, duas partes principales habuisse videtur, quarum altera de syllogismis seu conclusionibus, altera de loquendi consuetudine veritatem affirmante egit. In conclusionibus esse relationem, eamque propositionum, non notionum nexu indicatam, nemini dubium esse potest, quamquam singula conclusionum genera cum quarta categoria convenire, propter testimoniorum defectum demonstrari vix potest. Propositionum, quae primum in conclusione locum tenentes majores vocantur, genera, quibus relationem inesse supra dixi, hic repeti per se apparet. Doctrina de conclusionibus maximam partem in demonstrando versatur; demonstrationi autem inesse relationem secundum Stoicos monet Sextus Empiricus, divisione huius partis, quam protuli, praemissa in Pyrrhon. Hypoth. II. 107. repetit adv. Math. VIII. 335. hisce verbis: *Καὶ μὴν τῶν πρός τί ἐστιν ἡ ἀπόδειξις· οὐ γὰρ καθ᾽ ἑαυτὴν φαίνεται, πρὸς δὲ τῶν ἀποδεικνυμένων θεωρεῖται.* Qui locus cum largiore explicatione non egeat, ad posteriorem partis de conclusionibus locum transeo, cuius relatione illustrata, illi quoque aliquid lucis impertitur. A conclusionibus quasi fluctuantibus Stoici redacti sunt ad ea, quae nec demonstratione egent, nec demonstrari possunt. Quae cum significata sint (*σημαινόμενα*), res sive cogitationes significatas necessario quodam vinculo

cum verbis significantibus esse conjunctas collegerunt, quae cum consuetudine seu usu loquendi niterentur, ex quotidiana linguae consuetudine veritas erat deducenda. Quam necessariam inter significans et significatum relationem, signi dico relationem, ad Stoïcorum sententiam exponit Sext. Emp. Pyrrhon. Hypoth. II. 104. *Οἱ Στωϊκοὶ βουλόμενοι παραστῆσαι τὴν ἔννοιαν τοῦ σημείου φασί, σημεῖον εἶναι ἀξίωμα ἐν ὑγιεῖ συνημμένῳ προκαθηγούμενον, ἐκκαλυπτικὸν τοῦ λήγοντος.* "Stoici notionem signi definientes dicunt, signum esse propositionem incipientem a sana conditione consequens evolventem." Cui definitioni §. 106. hoc exemplum additur: *εἰ γάλα ἔχει αὕτη, κεκύηκεν αὕτη.* Consequentis enim veritas pendet a conditionis veritate. Hoc modo e signi veritate sequitur significatum esse verum, quod fusius exponitur §. 117. *Πρὸς τὸ σημεῖόν ἐστι τὸ σημειωτόν, καὶ διὰ τοῦτο συγκαταλαμβάνεται αὐτῷ· τὰ γὰρ πρός τι ἀλλήλοις συγκαταλαμβάνεται· καὶ ὥςπερ τὸ δεξιὸν πρὸ τοῦ ἀριστεροῦ, ὡς δεξιὸν ἀριστεροῦ καταληφθῆναι οὐ δύναται, οὐδὲ ἀνάπαλιν· καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν πρός τι παραπλησίως· οὕτως οὐδὲ τὸ σημεῖον πρὸ τοῦ σημειωτοῦ καταληφθῆναι δυνατὸν ἔσται.* "Ad signum refertur significatum ideoque in eo comprehenditur; quae enim ad aliquid relata sunt, altera in alteris comprehenduntur atque quemadmodum dextrum ante sinistrum cogitari non potest, ut dextrum sit sinistri, neque vice versa, in ceterisque relatis

simili ratione, ita neque signum ante significatum cogitari potest." Cuiusmodi cum verborum et cogitationum atque rerum extra nos positarum et verborum sit consensio, e recto loquendi usu veritas i. e. rerum et cogitationum consensio deduci potest. (Diog. VII. 81.). Argumentatio igitur simpliciter est relata ad id, quod argumentandum est; signum certo quodam modo ad significatum. Ex hisce deduci potest subdivisio ad categorias. In conclusionibus enim si distinguitur materia a forma, ens et essentiam agnosco, si verum a falso et id, quod fieri potest, ab eo, quod necessarium est, hoc e substrati differentiis in disquisitionem vocatum est. (Index §. 193 et 194. cf. 76—78.). Figuras, quae vocantur, conclusionum ad qualitatem refero (§. 195. cf. 79—81.); e ratione enim cogitandi deducuntur. Sin autem, num probandae an reprobandae sint conclusiones, quaeritur, de mentis actione aliquo modo se habente quaestio est atque, licet etiam ad aliquid referantur, non minus tamen quaeritur, quomodo se habeant, quam quomodo relatae sint. (Ind. §. 196—197. cf. 81—82.). Haec tamen sectio, cum jam ex usu loquendi pendeat, cum ultima arctius cohaerere videtur. Ipsa relatio aliquo modo se habentium cernitur in signi et significati nexu (Ind. §. 198. cf. 83.). Hanc quartae partis subdivisionem ipsam quidem locis allatis probavi, eius vero rationem e mera conjectura, vel ex con-

sensu omnium partium philosophiae Stoicae disceptavi.

Caput III.

Physices divisio.

In divisione physices, quae ad systematis rationem secundum locum tenet, nobis proficiscendum est e loco Diogenis satis quidem amplo, sed mutilato, qui cum ex se ipso, tum ex totius physices adumbratione restituendus et explicandus est. Physicen ille VII. 132. hisce verbis ingreditur: *Τὸν δὲ φυσικὸν λόγον διαιροῦσιν εἴς τε τὸν περὶ σωμάτων τόπον καὶ περὶ ἀρχῶν καὶ στοιχείων καὶ θεῶν καὶ τεράτων καὶ τόπου καὶ κενοῦ· καὶ οὕτω μὲν εἰδικῶς, γενικῶς δὲ εἰς τρεῖς τόπους τόν τε περὶ κόσμον καὶ τὸν περὶ τῶν στοιχείων καὶ τρίτον τὸν αἰτιολογικόν. Τὸν δὲ περὶ τοῦ κόσμου διαιρεῖσθαί φασιν εἰς δύο μέρη· μιᾷ γὰρ σκέψει ἐπικοινωνεῖν αὐτοῦ καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν μαθηματικῶν, καθ' ἣν ζητοῦσι περί τε τῶν ἀπλανῶν καὶ τῶν πλανωμένων· οἷον, εἰ ὁ ἥλιός ἐστι τηλικοῦτος, ἡλίκος φαίνεται καὶ ὁμοίως, εἰ ἡ σελήνη, καὶ περὶ δινήσεων καὶ τῶν ὁμοίων τούτοις ζητημάτων· ἑτέραν δὲ αὐτοῦ σκέψιν εἶναι, ἥτις μόνοις τοῖς φυσικοῖς ἐπιβάλλει, καθ' ἣν ζητεῖται ἥ τε οὐσία αὐτοῦ καὶ εἰ ὁ ἥλιος καὶ οἱ ἀστέρες ἐξ ὕλης καὶ εἴδεος καὶ εἰ γεννητὸς ἢ ἀγέννητος καὶ εἰ ἔμψυχος ἢ ἄψυχος καὶ εἰ φθαρτὸς ἢ ἄφθαρτος καὶ εἰ προνοίᾳ διοικεῖται καὶ περὶ τῶν λοιπῶν. Τόν τε αἰτιολογικὸν*

εἶναι καὶ αὐτὸν διμερῆ· μιᾷ δὲ αὐτοῦ ἐπισκέψει ἐπικοινωνεῖν τὴν τῶν ἰατρῶν ζήτησιν, καθ' ἣν ζητοῦσι περί τε τοῦ ἡγεμονικοῦ τῆς ψυχῆς καὶ τῶν ἐν ψυχῇ γινομένων καὶ περὶ σπερμάτων καὶ τῶν τούτοις ὁμοίων· τοῦ δ' ἑτέρου καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν μαθημάτων ἀντιποιεῖσθαι, οἷον, πῶς ὁρῶμεν, τίς ἡ αἰτία τῆς κατοπτρικῆς φαντασίας, ὅπως νέφη συνίστανται, βρόνται καὶ ἴριδες καὶ ἅλως καὶ κωμῆται καὶ τὰ παραπλήσια. Quae hic proferuntur duae physices disponendae rationes, si verba: *οὕτως μὲν εἰδικῶς, γενικῶς δὲ* etc. perpendimus, inter se diversae esse non possunt, sed prior specialis ad posteriorem generalem referenda est, quod quidem in singulis demonstratu difficillimum est. Si a priore divisione proficiscimur, locos *περὶ σωμάτων καὶ περὶ ἀρχῶν καὶ στοιχείων* cunctos in secundo posterioris divisionis loco comprehendi per se manifestum est; vocabulum enim *στοιχεῖον* nunc latius nunc arctius accipitur (Stob. Ecl. I. p. 314.). Cuius quidem loci subdivisio, quae inter locum de mundo et causalem poni debuerat, sive negligentia librarii cuiusdam sive consulto ab epitomes auctore omissa est. Quae si incuria excidit, quod quidem est verisimilius, cum tertii loci partitio incipiat a verbis *τόν τε αἰτιολογικὸν εἶναι καὶ αὐτὸν διμερῆ*, et ipsa bipartita, in eaque, ut in ceteris una pars physicis cum mathematicis communis, altera mera fuerit physica necesse est. E speciali quidem divisione tres partes ad hunc locum omissum per-

tinere videntur, quae etiam in copiosiore physices expositione agnoscuntur, ubi de principiis (*περὶ ἀρχῶν*) §. 134., de corporibus (*περὶ σωμάτων*) §. 135., de elementis (*περὶ στοιχείων*) §. 136 et 137. separatim disseritur. Attamen cum principia et elementa arctius cohaereant, in uno loco eoque physico utraque comprehensa sint oportet, itaque corpora, quae restant, efficiunt partem mathematicam. Sequitur in divisione speciali locus *περὶ θεῶν*, qui ad mundi contemplationem pertinet, eam vero non complet; quare, cum quae restant, ad locum causalem referenda sint, plurium partium specialium de mundo tractantium nomina exciderint oportet, quae cum e partitione generali tum e fusa physices adumbratione restituere possumus. In divisione generali mundi descriptio bipartita est, in cuius partem posteriorem cadit quaestio de Diis, in priorem de essentia mundi disquisitio. Quas partes ambas deinceps §. 137—151. incl. amplificatas et distinguunt et amplectuntur mundi definitiones diversae §. 137—138. aliis verbis bis repetitae. *Λέγουσι δὲ κόσμον τριχῶς· αὐτόν τε τὸν θεόν, τὸν ἐκ τῆς ἁπάσης οὐσίας ποιόν, ὃς δὴ ἄφθαρτός ἐστι καὶ ἀγέννητος, δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως, κατὰ χρόνων ποιὰς περιόδους ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν· καὶ αὐτὴν δὲ τὴν διακόσμησιν τῶν ἀστέρων κόσμον εἶναι λέγουσι· καὶ τρίτον τὸ συνεστηκὸς ἐξ ἀμφοῖν. Καὶ ἔστι κόσμος ὁ ἰδίως ποιὸς τῆς τῶν ὅλων*

οὐσίας-ἢ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις φύσεων ἢ σύστημα ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων καὶ τῶν ἕνεκα τούτων γεγονότων. Harum definitionum, quae eodem ordine aliis verbis repetuntur, ultima totum mundum amplectitur vel partes, in quas eius adumbratio dividitur, ambas conjungit; prima e qualitate proficiscitur, quod ipsa verba aperiunt, secunda essentiae vel substrati maxime rationem habet. Qui ordo cum in generali physices divisione, tum in fusiore explanatione, quae deinceps sequitur, convertitur. Mundus enim ubique ex materia et ratione compositus secundum partes suas loco diversas, Dei quasi vestis, describitur §. 138—146. Idem in aliis partibus aliam formam exhibens, e Deorum diversitate quavis parte habitantium diversus, unius tamen summi Dei seu Jovis potentiae obediens adumbratur §. 147—151. Ex hoc physices paullo copiosius explanatae ordine in speciali divisione, quae cum ea in plurimis convenit, nisi plura, saltem *καὶ κόσμου* supplenda sunt; locus enim *περὶ κόσμου* sensu latiore partem *περὶ θεῶν* amplectens, arctiore sensu ab ea distinguitur. Sequitur in divisione speciali, quam dixi, locus *περὶ τεράτων*, qui ad posteriorem loci causalis (*αἰτιολογικοῦ*) partem in divisione physices generali pertinet, eam vero non complet; etenim teste hac generali divisione ibidem praeter visa coelestia videndi facultatem aliaque eiusmodi tractarunt. Ex quo suspicor, omnes hoc loco

rerum naturalium actiones et conditiones in disquisitionem esse vocatas. Quam ob causam non minus loci περὶ τόπου καὶ κενοῦ huc pertinere videntur, qui quidem ad priorem loci causalis partem pertinere non possunt, qua animi indoles explicata esse dicitur. Nulla igitur restant in divisione speciali, quae ad hanc trahi possint, quare multa excidisse credendnm est, quae ad sensum quidem cum e generali divisione, tum e fusiore physices descriptione suppleri possunt. In hac quae supersunt apud Diogenem §. 151 — 160., eundem rursus produnt ordinem, qui in divisione speciali agnoscitur, hic quidem contrarius partitioni generali. Primo enim anni tempora describuntur, quibus annectitur de visis coelestibus disputâtio §. 152—154. et coeli terraeque in tractus descriptio §. 155—156. Videndi ratio, quae secundum partitionem generalem etiam hoc loco tractanda erat, cum in ultima parte repetenda esset, hic omissa est. Ultima pars §. 56. principium capit ab igni illo artificiali, qui mundum permeans et ipsum hominum animum efficit, cuius naturam et indolem deinceps §. 156—159. illustrat. Eodem pertinere puto de providentia quaestionem, quippe quae igni illo ad omnia regenda utatur. Diogenes, vel si quis alius epitomen fecit, ne eadem pluries commemorata denuo repeteret, quae e systematis ratione repetenda erant, ibi de providentia disputationem praetermisit. Trium

igitur locorum, quos explicavimus, duas quisque habet partes, quarum altera mathematica antecedit physicam. Partes hae ita alia aliam exceperunt: *περὶ στοιχείων, περὶ σωμάτων, περὶ κόσμου, περὶ θεῶν, περὶ ἀστρολογίας, περὶ προνοίας.* Partium mathematicarum prima mathesin, quam vocant puram, continet, secunda applicatam ad physica, tertia applicatam ad astronomica. Quod mathesis vel ad physicen vel ad astronomicen applicatae discrimen satis copiose exposuit Posidonius apud Simplicium in Phys. Arist. p. 64. Ed. Ald., quem locum e Posidonio Geminus, e Gemino Alexander, ex Alexandro Simplicius deprompsit (Bake Posid. p. 60. etc). Posidonius cum systematis Chrysippei ordinem retinuerit, de hac re locuples nobis est testis. At a Bakio Posidonii divisionem minus recte intellectam esse, praetermittere non possum; praesertim cum locus longius excurrat, quam qui adscribi possit. In mathesis enim physicae et astronomicae, ut ita dicam, discrimine ille duplicem mundi partitionem aut ad substratum aut ad qualitatem considerati cognoscere sibi videtur; quamquam Posidonius sibi proposuerat, ut astronomiae physicae et mathematicae, quam nunc nominamus, discrimen ostenderet; etenim *φυσικὴν θεωρίαν* mundi ut substrati descriptionem, *ἀστρολογίαν* vero mutationum, quae in coelo fiunt, esse observationem, satis manifestum est.

Tres igitur loci physici secundum divisionem specialem, quam pro fundamento habui, ita ordinandi sunt, ut primus sit *περὶ στοιχείων*, secundus *περὶ κόσμου*, tertius *αἰτιολογικός*. Qua ratione duo priores loci corporalia, ultimus incorporalia tractat; hoc enim corporalium et incorporalium discrimen esse princeps, ex quo physices partitio derivetur, non specialis tantum divisio indicat, sed etiam diserte traditur a Seneca epist. 89. "Naturalis pars philosophiae in duo scinditur: corporalia et incorporalia. Utraque dividuntur in suos, ut ita dicam, gradus. Corporum locus in hos primum, in ea, quae faciunt, et quae ex his gignuntur: gignuntur autem elementa. Ipse elementi locus, ut quidam putant, simplex est, ut quidam, in materiam et causam omnia moventem et elementa dividitur." Quo quidem loco non incorporalia tantum indivisa relinquuntur, sed ipsorum corporalium non omnes loci afferuntur, quin partes, quae nominantur, ne *περὶ στοιχείων* quidem locum sensu latiore acceptum explent; quae enim faciunt, sunt principia (*ἀρχαὶ*), deinde in elementis si causa a materia distinguitur, utraque ab ipsis, causa omnium ignis esse videtur cetera in se comprehendens, materia vero aqua vel liquor, ex quo ab illa quatuor elementa pariuntur (Diog. VII. 136.). Omissus igitur est locus de corpore mathematicus, qui ceteros antecessisse videtur secundum divisionem specialem, excepisse secundum Senecam, qui

locos de principiis et elementis primos vocat. Sequitur locus περὶ κόσμου, qui duplex est, etenim Stoici primo de constitutivis, quae vocantur, mundi partibus disputaverunt, ubique iisdem, deinde de partium diversitate secundum vim divinam iis insitam minus magisve efficacem. Locus causalis, quem dixi, de solis incorporalibus egerit ex divisionis ratione necesse est, quod quidem absurdum esse videtur, si de visis coelestibus, de plantis, animalibus aliisque rebus corporalibus hic sermonem fuisse perpendimus. At minus de harum ipsarum natura et indole agit, quam de earum statu, causis et effectibus, quos incorporales esse scimus. Locus hic rursus duplex est, altera enim pars causas aperit omnium, quae in quacunque mundi parte fiunt, altera omnium, quaecunque fiunt, finem esse hominem docet. Jam si quis haec omnia cum categoriis et iis, quae de logice disputavi, comparaverit, satis, opinor, elucebit, physices distributionem cum logices congruentem secundum rerum divisionem et categorias esse factam. Omnia enim primo aut corporalia sunt aut incorporalia; corporalia deinde in duo scinduntur, quorum altera viam muniunt ad reliqua secundum categorias disposita, altera partim sunt substrata, partim qualia; incorporalia deinde partim aliquo modo se habent, partim sunt ad aliquid relata. Quam categoriarum rationem in physicis esse agnoscendam docet Cicero quaestionem de Natura

Deorum eodem modo disponens II. 1. 3. "Omnino dividunt nostri *totam* istam de Diis immortalibus quaestionem in partes *quatuor*. Primum docens *esse* Deos; deinde, *quales* sint: tum mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis." Hunc de Diis locum, qui secundus est eorum, quos quatuor ad categorias esse constitutos diximus, rursus ad easdem categorias dissecari manifestum est; quod cum de omnibus locis suspicari liceat, non loci tantum majores, sed omnium sectiones quoque quaternae sunt, quas longius persequi in animo est.

In primo loco, quem *περὶ κόσμου* inscripsi, ubi corporum coelestium systema descriptum est, a principiorum distinctione profecti sunt, quam agnoscis apud Diogenem §. 138. *Οὐρανὸς δέ ἐστιν ἡ ἐσχάτη περιφέρεια, ἐν ᾗ πᾶν ἵδρυται τὸ θεῖον. Τὸν δὲ κόσμον οἰκεῖσθαι κατὰ νοῦν καὶ πρόνοιαν, καθά φησι Χρύσιππος.* De mente divina omnes mundi partes permeante §. 138 et 139. disputatur. De materia huic opposita ita disseritur §. 140 — 142., ut incorporalium ad mundum quasi continendum necessariorum expositio simul addatur. Animantis forma, quam mundo tribuunt, e mente et materia compositi §. 142 et 143. describitur. Sequitur siderum adumbratio aut fixorum aut errantium §. 144 — 146. Unde ad Deum redit sermo omnium rerum creatorem et conservatorem §. 147., cuius disputationis initium etiam ad ultimam primi

loci partem pertinere, suspicor. Sectiones, quas erui, primi loci ad quatuor categorias respicere neminem fugit. Essentiae enim et entis conjunctio, quam Chrysippus descripsit libro *περὶ οὐσίας*, substratum indicat, quod animantis forma indutum qualitatem exprimit, quam ex parte saltem libris *περὶ ἕξεων* a Chrysippo adumbratam arbitramur. Ipsum siderum et stellarum systema in libris *περὶ κόσμου* adumbratum est, in quo mundum aliquo modo se habentem agnoscimus, quippe qui semper moveatur. Cui usui mundi mansio et motio inserviat, quaerentes, ad Deum relegamur, qui Jovis nomine omnia ad hominum salutem regit, cui singularem Chrysippus tribuit librum (*περὶ τοῦ Διός*). Cf. Cic. N. D. I. 15.

In secundo loco *περὶ θεῶν* inscripto praeter Diogenem nobis ducem sese obtulit Cicero, qui lib. II. de Nat. Deor. se *totam* Stoicorum disputationem ex ipsorum ordine exhibere profitetur. Quam Ciceronis partitionem Stoicam apud Diogenem quoque agnoscimus etsi obscurius indicatam §. 147 — 149. incl. Cicero ad substratum respiciens *esse* Deos, multis argumentis probare studet, quae ex parte loco priori admixta Diogenes hic omisit, a Dei definitione incipiens. Argumenta gravissima petuntur e qualitatum diversitate i. e. ex *habituum* gradatione, quam (e Cic. c. 12. §. 33.) supra p. 98. attuli atque ex perfecta mundi pulcritudine et praestantia (c. 6. §. 16.), quae est

dispositio. Diogenes a definitione illico ad formum Deorum transit, a qua et ipse Cicero proficiscitur, *quales* sint Dii, descripturus (c. 17.). Primo stellae sunt Dii, in quibus natura est artificiosa et summa pulcritudo; quarum notionum discrimen *habitus* et *dispositionis,* artis et scientiae differentiam exhibet. Virtutes deinde in natura obviae divinitatis nomine dignae putantur, quarum vis divina si distinguitur ab effectis (c. 23.), habituum et habitorum notiones observes. Aliis denique mundi partibus alii Dii Deaeque praefecti esse creduntur, qui unius naturae nomine comprehenduntur, omnia regentis (c. 25—31. incl.). Eadem paucis prodit Diogenes §. 148. Cicero c. 32. pergit mundum describere naturae sentienti subjectum, qualitatis diversitatem per tertiae categoriae differentias persequens, quamquam notiones simplices verborum ornatu celare studet. Ceterum vix aliter intelligi potest, cur idem pluries aliis verbis repetat, nisi mundum a diversis partibus spectari vult. Ita tertiae categoriae rationem hic ad secundam adhibitam puto, ut binae differentiae copulentur. Quantum et quale agnosco c. 33—38., ubi et quando c. 39—44., situs et habendi notiones c. 45—52., patiendi et efficiendi c. 52. 130—132. Omnibus naturae partibus ita adumbratis, ut ubique habitus et dispositionis differentia appareat, a mundi contemplatione, ut in primo loco observavimus, ad Deum revertit,

qui *Naturae* nomine insignitus omnia in hominum usum fecisse dicitur (Cic. c. 53 — 66. Diog. 148 et 149.). Inter libros Chrysippeos, quorum quidem inscriptiones servatae sunt, nullus est, quo *Deos esse* demonstrare voluerit, quare conjicias, inscriptionem *περὶ τοῦ εἶναι τοὺς θεοὺς* interiisse. Quales sint Dii, uberius docuit libris *περὶ θεῶν*, quorum fragmenta restant multa. Ad tertiam sectionem referam *φυσικὰς τέχνας*. (Diog. 140. Plut. de Stoic. repugn. c. 42.) De natura generi humano consulente opus *περὶ φύσεως* compositum disseruisse, fragmenta ostendunt satis multa.

Tertius locus, quem praecipue mathematicum et astronomicum esse invenimus, difficilius etiam in pristinum ordinem restituitur; Diogenes enim pro perversa eius ratione excerpendi, quo longius progreditur, eo minus est integer. Itaque saepe priorum locorum consensus et praecipue tertia secundi loci sectio in auxilium est vocanda. In mutationibus, quarum ratio hic erat reddenda, describendis rursus a principiis incipiendum erat; de qua materiae fluctuatione Chrysippi sententiam supra p. 48. et 49. obiter indicatam nobis servaverunt Alexander Aphrodisiensis (ad Arist. *περὶ μίξεως* Ven. ap. Aldum p. 141.) et Stobaeus (Ecl. I. 18. p. 374.). Quod huius loci initium Diogenes adumbrat §. 151 et 152., quo non minus per-

tinet disputatio de corporum sectione, quae secundum Stoicos est infinita. Ab hoc materiae fluxu etsi pendet, tamen diversa est qualitatum generatio et interitus, quam quaestionem Diogenes, cum §. 141. tetigerit, hic omisit, nisi eo pertinet de daemonibus et heroibus doctrina, quam §. 151. commemorat; qua quidem potentiarum divinarum imagine rationes seminales indicari videntur. Cf. libelli nostri p. 72. Ipsum aliquo modo se habere in physicis quaerenti primo occurrunt *quale* et *quantum*, quae notiones quomodo hic tractentur, Posidonius docet, de mathesis physicae et astronomicae discrimine disserens, e quibus disciplinis hanc huic loco vindicavimus (ap. Simpl. ad Arist. Phys. Ald. p. 64., in Bakii libro p. 60.): *Ἡ δὲ ἀστρολογία — ἀποδείκνυσι τὴν τάξιν τῶν οὐρανίων, κόσμον ὄντως ἀποφήνασα τὸν οὐρανόν, καὶ περί τε σχημάτων λέγει καὶ μεγέθους καὶ ἀποστημάτων γῆς τε καὶ ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ περὶ ἐκλείψεων καὶ συνάψεων τῶν ἄστρων καὶ περὶ τῆς ἐν ταῖς φοραῖς αὐτῶν ποιότητος καὶ ποσότητος.* Si jam quaerimus, quid hoc loco ad qualitatem, quid ad quantitatem constitutum sit, e Seneca quoque apparet, visa coelestia, quemadmodum appareant, esse *qualia*, ut locus latius patens multa comprehendat, quae nos quidem non astronomiae annumeramus; meteora dico et omnia phaenomena, quae in ipsa terrae superficie accidunt. Totum hunc locum fuse, etsi minus ordinate, Seneca tractat

quaestionibus naturalibus. *Quanta* vero spectantur in figuris, magnitudine et distantia, praeterea in legibus mathematicis, ex quibus omnia inter se cohaerent, deinde in audiendo et videndo, aëris enim et lucis quoque numerus quidam est et mensura. Itaque acusticae et opticae, quas vocamus, hic suus est assignandus locus. Visa illa coelestia vel naturalia Diogenes ordinem, quem indicavimus, sequens exposuit §. 151 — 153. Artium, quas commemoravi, hoc quidem loco omissarum mentionem fecit in divisione physices generali §. 133. Cicero justo loco etsi breviter omnia commemorat c. 33. Deinde *temporis* rationem e corporum coelestium motione esse deductam et constitutam, e fragmento Chrysippi suspiceris apud Stob. Ecl. I. 9. 42. p. 260. servato; ubi temporis definitioni additur de anni temporibus disputatio, quam Diogenes prius indicatam pro consuetudine sua hic omittit. Quae apud Diogenem deinde sequuntur §. 155. ad *locum* pertinent, cui respondens in tertia categoria est notio *ubi*. Locus tamen in universum ante descriptus ad singulas partes erat adumbrandus, quod Diogenes fecit l. l. de regionibus coeli et terrae disputans. Quod de loco conjectura assecuti sumus, eum ad tertiam categoriam aliquo modo se habere, id de tempore testimonio affirmari potest Posidonii, qui apud Stobaeum Ecl. I. 9. 42. p. 258. tempus definiens addit: καὶ πώς ἔχει

τὸ *) ἐπινοούμενον κατὰ τὸ ποτέ. Itaque ut e notione *ubi* procedit geographia mathematica, eodem modo notio *quando* in physicis spectata exhibet chronologiam. Jam omnino nos deficit Diogenes, qui, quae restant ex astronomicis, primo loco admiscuit. Lacunam explet Posidonius apud Simplicium (ad Arist. Phys. l. l.) disertis verbis tradens, astrologiam, quam vocat, e mansionis quoque et motionis notionibus esse tractatam ad corporum coelestium motum explicandum (in Bakii Posidonio p. 61.): *Διὸ καὶ παρελθών τις, φησὶν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός, ἔλεγεν, ὅτι καὶ κινουμένης πως τῆς γῆς τοῦ δ' ἡλίου μένοντός πως, δύναται ἡ περὶ τὸν ἥλιον φαινομένη ἀνωμαλία σώζεσθαι. Ὅλως δὲ οὐκ ἔστιν ἀστρολόγου τὸ γνῶναι, τί ἠρέμιόν ἐστι τῇ φύσει καὶ ποῖα τὰ κινητὰ, ἀλλὰ ὑποθέσεις εἰσηγούμενος τῶν μὲν μενόντων, τῶν δὲ κινουμένων, σκοπεῖ, τίσιν ὑποθέσεσιν ἀκολουθήσει τὰ κατ' οὐρανὸν φαινόμενα.* Hic agnoscimus astronomiam theoricam, quae nunc vocatur; cum priora potius ad sphaericam pertineant. Astrologus teste Posidonio hypotheses tantum facit, quibus stellarum cursum illustret, principem earum causam non inquirit. Hypotheseon vero nexus cum in fato lateat, de hoc deinceps secutam esse disceptationem arbitramur, quamquam haec ipsa minus ad

*) Ita cum Bakio p. 51. legendum esse puto; Heeren male codicum lectionem mutavit.

astrologum pertinet. Stoici enim, inquit Plutarchus de Plac. Phil. I. 28., fatum definiunt *εἱρμὸν αἰτιῶν, τουτέστι τάξιν καὶ ἐπισύνδεσιν ἀπαράβατον.* De fato igitur in sectione quarta huius loci a Chrysippi eiusque discipulis esse disputatum, cum e priorum locorum consensu suspicari licet, quorum uterque in quarta sectione Deum tractat, tum auctoritate Posidonii, qui Chrysippi partitionem et ordinem retinuit (Diog. §. 84.), extra omnem dubitationem ponitur; fatum enim apud Plutarchum l. l. vocat *τρίτην ἀπὸ Διός· πρῶτον μὲν γὰρ εἶναι τὸν Δία, δεύτερον τὴν Φύσιν, τρίτον δὲ τὴν Εἱμαρμένην.* Quae distinctio ad quatuor physices locos ita referenda esse videtur, ut quartam cuiusque sectionem tangat; primi enim loci sectio quarta de Jove erat, secundi de Natura, tertii de Fato. Nexus hic rerum praeterea multis Chrysippi fragmentis affirmatur, quae maxima ex parte e certis libris deprompta sunt. De substratorum enim mutatione egerunt libri *περὶ κράσεως καὶ μίξεως* scripti; qualitatum vicissitudines descripsit libris *περὶ αὐξανομένου* inscriptis, quos allegat Philo de incorr. ed. Mang. V. II. p. 501. et Plut. de comm. not. c. 36. De tertia sectione mathematicas inprimis mutabilium leges comprehendente multa quidem exstant fragmenta, librorum vero inscriptiones afferuntur paucae. Meteorologica sive *περὶ μετεώρων* seu *περὶ τεράτων* a Chrysippo esse conscripta, dubitare nequimus. Num quaestiones *περὶ τόπου*

καὶ χρόνον singulis libris solvere studuerit, in dubio est relinquendum, quamquam utramque quaestionem in libris *περὶ κενοῦ* esse agitatam veri est simillimum (Plut. de comm. not. c. 41.). De motu stellarum eiusque legibus scripsit libros *περὶ κινήσεως*. Quartam denique sectionem relationis notione insignem efficiunt libri *περὶ εἱμαρμένης*, quorum fragmenta exstant uberrima, quibus quaecunque in rerum natura fiunt, ad necessitatem referuntur.

Locus tertius et quartus ambo causales esse dicti sunt, quare priusquam ad hunc fusius illustrandum progrediar, discrimen est enucleandum inter ambos obtinens, quod optime fieri potest secundum eam differentiam, ex qua causa est aut efficiens aut finalis, de illa enim egit locus tertius, de hac quartus. Quod discrimen a Chrysippo agnitum exhibet Stobaeus Ecl. I. 14. 1. p. 338. *Χρύσιππος αἴτιον εἶναι λέγει δι᾽ ὅ· καὶ τὸ μὲν αἴτιον ὂν καὶ σῶμα καὶ αἴτιον ὅτι· οὐ δὲ αἴτιον* *) *διά τι, αἰτίαν δ᾽ εἶναι, λόγον αἰτίου ἢ λόγον τὸν περὶ τοῦ αἰτίου ὡς αἰτίου.* "Chrysippus causam dicit esse per quod atque causam efficientem ens atque corpus et causam cur; neque tamen causam effi-

*) Haec lectio codicum retinenda est, quam Heeren mutavit: *καὶ [αἴτιον] ὅτι· οὐ δὲ αἴτιον, διά τι. Αἰτ.* etc. Ex mea interpretatione *αἴτιον δι᾽ ὅ* idem est atque *ὅτι*, causa efficiens; *αἰτία* vero idem atque *διά τι*, causa finalis.

cientem esse propter quod, sed finalem, rationem causae efficientis vel orationem de causa efficiente, ut efficiente." Ipsa quidem causa efficiens cum corpus sit, in tertio loco tractata esse non potest, sed eius actio vel id, cuius causa est, quod e causa efficiente procedit, ad causam finalem refertur. Quam differentiam Posidonius l. l. his verbis indicat: *καὶ τὸ μὲν αἴτιον ὂν καὶ σῶμα, οὗ δὲ αἴτιον οὔτε ὂν οὔτε σῶμα, ἀλλὰ συμβεβηκὸς καὶ κατηγόρημα.* Quo loco simul affirmatur, quod praemonuimus, hoc et quarto loco de incorporalibus praecipue esse sermonem; etenim id, cuius causa est, etiam causam finalem complectitur.

Concesseris igitur, in quarto loco de actionibus agi ad causam finalem relatis, hunc ex quarta categoria esse constitutum, non minus apparet. Diogenes §. 156—159. rursus nobis viam monstrat, quamquam non ubique nos comitatur. Physicae propositum est, teste Cicerone de Nat. Deor. II. c. 61. fin., ut omnia hominum causa in hoc mundo facta esse et parata doceat, id quod in ultimum eius locum cadat necesse est. Ipsa igitur hominis natura toti huic loco quasi substrata est, ut ex eius animo initium fuerit capiendum, quod quidem Diogenes fecit §. 156. Animum humanum ex iisdem constare principiis, e quibus totus mundus, docet Plutarchus (de comm. not. c. 44.), quem locum supra adscripsimus p. 50. Sedem animi in corde positam Chrysippus accurate

examinavit apud Galenum de Hippocr. et Plat. plac. Ipsius animi descriptionem excipit de eius partibus disceptatio apud Diog. §. 157. etc. Denuo nos relinquit Diogenes, quare tertia sectio e priorum locorum analogia est restituenda. Animi actiones hic esse adumbratas, facile suspiceris e tertiae categoriae indole, quas non per se, sed quatenus ad Dei vel divinae voluntatis cognitionem referantur, hic esse tractatas inde cognoscimus, quod homines civitatis, quam Deus administrat, participes agnoscunt leges divinas eius rationem habentes relationis, quae in quarta sectione per se sola in disquisitionem vocata nos ad divinam providentiam ducit. Quarta igitur sectio rursus in Deo versatur, qui aut Jupiter est aut Natura aut Fatum aut Providentia. Quas Stoicas Dei rationes prodit Plutarchus de Stoic. repugn. c. 34. contra Chrysippum de Natura disputans: *ὅτι δ' ἡ κοινὴ φύσις καί ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος εἱμαρμένη καὶ πρόνοια καὶ Ζεύς ἐστιν, οὐδὲ τοὺς ἀντίποδας λέληθε, πανταχοῦ γὰρ ταῦτα θρυλλεῖται ὑπ' αὐτῶν* [*τῶν Στωϊκῶν*]. Ut inde ad priores huius loci sectiones respiciam: Pars animi humani principalis ab ipso Deo profecta aliquando ad eum redibit. Ab hac mente vel ratione pendent ceterae animi facultates, quibus homo instructus est, ut Deo mundum civitatis instar regenti obediat. Cuius voluntatem cum divinationis ope cognoscere possit, et ipsae hominum actiones a divina provi-

dentia in ipsorum utilitatem reguntur. Restat solum, ut Chrysippi libros ad hunc locum pertinentes enumerem. Animo humano, maxime parti eius principali describendae Chrysippus tribuit duos libros περὶ ψυχῆς inscriptos. Cuius substrati qualitates seu singulas facultates adumbrasse videtur in opere, quod φυσικοὶ λόγοι inscriptum est, a Suida s. v. πρόληψις allatum, quo praeterea referenda sunt, quae Diogenes prodit §. 159. Scientia humana, quae in voluntate Dei e mundo aliquo modo se habente cognoscenda versatur, efficit divinationem, quam Chrysippus uberrime exposuit in libris περὶ ὀνείρων, περὶ χρησμῶν, περὶ μαντικῆς. Ad eandem sectionem fortasse alii quoque libri pertinuerunt civitatem istam, quam mundus efficit, describentes. Relationem denique, quae inter Deum et homines obtinet, seu magnam illam civitatem, in qua Dii imperant, homines parent, cetera hominum utilitati serviunt, descripserunt libri περὶ προνοίας, quos nuper Herculani detectos jamque edendos magno cum desiderio exspecto.

Caput IV.

Ethices divisio.

Jam eadem ratione, qua ceterarum philosophiae partium, etiam ethices dispositionem inquiramus, quam licet facilius ad similitudinem logices et physices reperire possimus, quibus consentientibus haec dissentire nequeat, firmis tamen argu-

mentis restituere praestat. Specialem eius divisionem praebet Diogenes VII. 84. *Τὸ δὲ ἠθικὸν μέρος τῆς φιλοσοφίας διαιροῦσιν εἴς τε τὸν περὶ ὁρμῆς καὶ εἰς τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τόπον καὶ εἰς τὸν περὶ παθῶν καὶ περὶ ἀρετῆς καὶ περὶ τέλους περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων καὶ περὶ τῶν καθηκόντων προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν· καὶ οὕτω δ' ὑποδιαιροῦσιν οἱ περὶ Χρύσιππον καὶ Ἀρχέδημον* etc. *ὁ μὲν γὰρ Κιττιεὺς Ζήνων καὶ ὁ Κλεάνθης, ὡς ἀρχαιότεροι, ἀφελέστερον περὶ τῶν πραγμάτων διέλαβον.* Quas partes referendas esse ad generalem divisionem a Seneca exhibitam facile intelligetur. Senec. Epist. 89. "Moralem philosophiae partem in tria dividi placuit: ut prima esset inspectio suum cuique tribuens et aestimans, quanto quidque dignum sit, maxime utilia. Quid enim est tam necessarium, quam pretia rebus imponere? Secunda de impetu: tertia de actionibus. Primum enim est, ut quanti quidque sit, judices: secundum, ut impetum ad illa capias ordinatum temperatumque: tertium, ut inter impetum tuum actionemque conveniat, ut in omnibus istis tibi consentias." In secundum locum cadant oportet partes *περὶ ὁρμῆς* et *περὶ παθῶν*; ipse enim de impetu (i. e. *περὶ ὁρμῆς*) inscribitur et partem *περὶ παθῶν* amplectatur necesse est, quia animi perturbatio species impetus est (*ἐν εἴδει τὸ πάθος τῆς ὁρμῆς ἐστι* Stob. Ecl. II. c. 7. p. 164.). Loco tertio de actionibus inscripto vindicandae sunt par-

tes περὶ τέλους περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων καὶ περὶ τῶν καθηκόντων προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν, restant denique loco primo solae περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν et περὶ ἀρετῆς partes. Hoc modo utramque divisionem, etsi diversam, non tamen alteri alteram esse contrariam, sed omnino convenientem, e singulis partibus postea cum explicandis tum ratione et via componendis magis elucebit. Hic sufficiat Ciceronis afferre locum eandem, quam Seneca, divisionem exhibentem de off. II. 5. 18. *) "Etenim virtus omnis *tribus* in rebus fere ver-

*) Hunc locum, quem quidem multi judicarunt spurium, Senecae auctoritas, opinor, non modo in integrum restituet, sed etiam genuinam eius vim aperiet, partitionem dico ethices. Etenim cum Cicero ad sensum omnino, saepe ad verbum, cum Seneca conveniat, Stoico, qui Stoica hic alienis diserte opponit, locum, de quo quaerimus, et genuinum Ciceronis et e Stoica philosophia esse petitum, aliis argumentis affirmari non oportet. Si quis cum antecedentibus et sequentibus connexum desiderat, eum ad Goeringii progr. de h. l. scriptum Lubecae 1818. relego, cuius quidem argumenta probare non possum. Ceterum de argumentis, quae contra afferri possunt, cf. Beyeri excursum ad Vol. II. ed. Cic. de off. Lips. 1821. Equidem hoc tantum addo, male in loco isto virtutis divisionem quaeri; universae potius ethices partitionem inesse contendo, quod Goering recte vidit, minus recte probavit. Minus etiam recte de officiis hunc locum accepit Schleiermacher Krit. d. Sittenl. p. 205. Hanc divisionem veterem esse Stoicorum, praeterea inde colligitur, quod Aristo eam impugnavit, firmavit Chrysippus. Cf. Diog. VII. 161. et libri nostri p. 18. Eosdem tres ethices locos, quos Cicero et Seneca, alio ordine indicat Epictetus Ench. c. 76. et Simplic. ad h. l.

titur: quarum *una* est in perspiciendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei causa sit; *alterum,* cohibere motus animi turbatos, quos Graeci *πάθη* nominant, appetitionesque, quas illi *ὁρμάς*, obedientes efficere rationi; *tertium*, iis, quibuscum congregamur, uti moderate et scienter, quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habeamus, per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus, ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sunt, tantaque poena afficiamus, quanta aeqnitas humanitasque patitur." In qua triplice ethices partitione si fundamentum quaerimus, eum, qui categorias et rerum divisionem tenet, fugere non potest, partes duas priores ad corporalia, tertiam ad incorporalia pertinere, quod ne quis dubitare possit, Plutarchi quoque locum adscribo contra Stoicos scriptum in libro de comm. not. c. 45. p. 1084. a. *Ἄτοπον γὰρ εὖ μάλα, τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς κακίας, πρὸς δὲ ταύταις τὰς τέχνας καὶ τὰς μνήμας πάσας, ἔτι φαντασίας καὶ πάθη καὶ ὁρμὰς καὶ συγκαταθέσεις σώματα ποιουμένους — φάναι* etc. Partes igitur de bonis et malis seu de pretio rerum atque de impetu corporalia tractant, pars de actionibus incorporalia. E quibus partibus cui primus locus et tribuitur et tribuendus esse videtur, ea in omnibus ethices adumbrationibus, quae quidem exstant,

ceteris praeponitur, nisi forte Stobaei descriptionem Stoicae ethices excipias, ubi a loco de bonis et malis principium capitur, quae *) tamen alio divisionis fundamento nititur. Apud Diogenem autem, ut in Ciceronis libris et de officiis et de finibus, ethice initium capit a loco de impetu (Diog. VII. 85. Cic. de off. I. 4. de fin. III. 5.); quod fieri potuisse et factum esse, praeterea locuples testis accedit divisio specialis, quam ex Diogene attuli; in qua si locus de perturbationibus animi ab impetus descriptione sejungitur, hoc e Posidonii sententia factum esse credendum est. Animi enim perturbationes e Chrysippi quidem sententia **) accuratius cum impetu cohaerere, cum e divisione generali colligitur, tum ex eo, quod animi perturbatio est species impetus, cognoscitur, tum denique, quia ut ex impetu rationali virtutes, ita ex irrationali, quae est animi perturbatio, vitia deducuntur, necessarium est; etenim cum virtus et vi-

*) Stobaeus proficiscitur a bonorum et malorum atque indifferentium discrimine, quod ex parte cum illo convenit, de rerum enim pretio disputatur a p. 90 — 108. de impetu a p. 158 — 184. de actionibus a p. 184 — 242., quamquam nec utrumque discrimen idem est et, quod mirabilius est, posteriores duae partes arctius connectuntur, cum alibi duae priores magis cohaereant, quod quidem cur factum sit, e divisionis fundamento cognoscitur.

**) Hac de re a Chrysippi sententia discessit Posidonius, peculiarem in animo ponens partem irrationalem. Galen. de Hippocr. et Plat. decret. ed. K. Vol. V. cf. Bake Posid. p. 196. etc.

tium inter se opposita eiusdem loci sint, impetus quoque et rationi parens et ab ea discedens in una eademque parte generali expositus sit necesse est. Quae cum ita sint, systematis ratione habita, primo de impetu disputatum est, ex quo quid bonum sit vel malum, quid indifferens, dijudicetur, deinde de bonorum, malorum et indifferentium ita repertorum discrimine, de cuiusque vi et generibus, tum denique de actionibus, quae evadunt, cum impetus secundum hanc rerum differentiam dirigitur.

Partium superiorum ratione perspecta, jam inferiorum ordinem et indolem inquiramus, quod quidem difficilius perficitur; neque enim, num omnium partium subdivisarum nomina servata sint, neque quid quoque nomine significetur, accurate cognitum habemus. De primo loco brevis est disputatio, impetus enim rationalis adumbrationem praecedere oportere, quisque videt. Neque secundus locus difficultatem praebet, neque enim quaestionem de bonis et malis universaliorem antecessisse quaestioni de virtutibus, illorum parte, dubium esse potest, praesertim cum Chrysippus singulas quasdam ethices partes enumerans hunc ordinem servaverit *ἐν ταῖς Φυσικαῖς Θέσεσιν* (Plut. de Stoic. repugn. c. 9. p. 1035.): *Οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως οὐδὲ οἰκειότερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον, οὐδ᾽ ἐπὶ τὰς ἀρετάς, οὐδ᾽ ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἀλλ᾽ ἢ ἀπὸ τῆς κοινῆς*

Φύσεως καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως. Idem fragmentum nobis transitum parat ad ultimum ethices locum, cuius partes utpote plures difficilius in ordinem rediguntur. Hic enim cum pars de virtute excipiatur a parte de felicitate (*περὶ εὐδαιμονίας*), quae non diversa est a parte *περὶ τέλους* inscripta, divisio specialis, in qua sequitur *περὶ τέλους,* illi Chrysippi loco accurate consentit. Verba vero *περὶ τέλους περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων* unam tantum partem indicare videntur; *πρώτη* enim *ἀξία* finem (*τέλος*) ad bona refert, *πράξεις* autem sunt bonae actiones ex eo procedentes. (Cf. Stob. Ecl, II. 7. p. 152—156. Diog. VII. 96 et 97. Cic. de fin. III. 16. 55.). Quae restant in divisione speciali *περὶ καθηκόντων προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν,* eodem modo unam partem indicant, quae *περὶ τῆς δευτέρας ἀξίας* appellari possit, in rebus indifferentibus occupata (Stob. Ecl. II. 7. p. 156.). Omnes igitur partes subdivisae e systematis ratione Chrysippei ita sunt ordinandae I. 1. *περὶ ὁρμῆς.* 2. *περὶ παθῶν.* II. 1. *περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν.* 2. *περὶ ἀρετῆς.* III. 1. *περὶ τέλους περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων.* 2. *περὶ καθηκόντων προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν.* Logices et ethices comparatio primo adspectu docet, locos duos priores in corporibus versari, quod jam testimoniis probavimus, ultimum in incorporalibus; praeterea primum locum ceteris collatum esse pro introductione in agendi ratione versantem ad vir-

tutis perfectionem progrediente, posteriores ambos ad categorias esse constitutos ita, ut in bonis et malis substratum cernatur, in virtute qualitas, in fine aliquo modo se habere, in officiis denique relatio; quod postea notionibus in quaque parte prolatis est confirmandum. Singulas rursus partes eadem ratione in quatuor sectiones divisas esse oportere, non minus apparet, quod si libri exstarent de integris partibus scripti, cuiusmodi est in physice lib. II. Ciceronis de Nat. Deor., etiam clarius demonstrari posset. At qui exstant libri de ethicis ad Stoicorum mentem compositi, singulas tantum sectiones amplectuntur. Nihilo minus cum aut ad ceteras sectiones eiusdem partis, aut ad ceteras partes sive praecedentes sive sequentes respiciant, divisionis ratio ex his ipsis probari potest. In primis ducem nobis eligere possumus tertium *) Ciceronis librum de finibus, ubi finem bonorum, quem ipse summum et extremum bonum vocat **), (c. 7. §. 26.), ex impetu rationali constitutum, ut substratum, ita persequitur, ut simul ad ceteras huius loci sectiones re-

---

*) Inprimis secutus est Chrysippum. Cf. Kuehner Cic. in philos. merita Hamburgi 1825. p. 105. etc.

**) Qui loquendi usus cum facile intellectum turbare possit, moneo, ne quis confundat τέλειον ἀγαθόν (Diog. 100.) et τέλος (Diog. 87. etc.), quam differentiam a Schleiermachero (Kritik der Sittenlehre. Berl. 1803. p. 161.) animadversam esse gaudeo.

spiciat, adeo ultimum de officiis locum tangat; quam ipsam ob causam de *finibus* inscriptus esse videtur, quot et quibus rationibus finis vel extremum bonorum exprimi possit, definiens. Itaque c. 10. ad bona et mala respicit, c. 11. ad virtutes et vitia, c. 12 — 15. §. 50. ipsum finem in convenientia et felicitate constantem attingit, c. 15 — 17. §. 57. rerum dignitatem aestimat. Eodem modo, etsi minus accurate, usque ad exitum libri doctrinam de officiis percurrit. Ipsi de officiis libri, etsi, duce Panaetio, minus dialectice compositi, ad ceteras tamen partes aperte respiciunt l. I. c. 3 — 5. II. 5. III. 5.

Bonum, quod ethicae substratum est, utpote materia, omnis qualitatis expers non tantum oculos et omnino sensus, sed ipsam fere mentem fugit (Sen. ep. 66.), exemplo saltem explicari non potest, quod non simul qualitatem indicet. Hoc quidem sensu bonum definitur apud Sextum Empiricum adv. Math. XI. 25. *Λέγεται γὰρ ἀγαθόν, φασί, καθ' ἕνα μὲν τρόπον τὸ ὑφ' οὗ ἢ ἀφ' οὗ ἔστιν ὠφελεῖσθαι· ὃ δὴ ἀρχικώτατον ὑπῆρχε καὶ ἀρετή· ἀπὸ γὰρ ταύτης ὥςπερ τινὸς πηγῆς πᾶσα πέφυκεν ἀνίσχειν ὠφέλεια.* Cui definitioni in brevius contractae Stobaeus Ecl. II. 7. p. 96. addit *τὸ δὲ πρῶτον εἶναι αἴτιον.* In quibus locis si cui substrati notio obscurius indicari videtur, hunc ad Senecam relego, qui *bonum* et corpus esse et unitum demonstrare studet. In epistola enim 106. haec leguntur e

Chrysippo, opinor, deprompta: "Bonum prodest, facit enim; quod facit, corpus est: bonum agitat animum et quodammodo format et continet; quae ergo propria sunt corporis, ea corporis bona sunt, corpora ergo sunt et quae animi sunt, nam et hic corpus est; bonum hominis necesse est corpus sit, cum ipse corporalis." Triplice igitur ratione demonstratur bonum esse corpus, primo, quia efficit, utpote ens, deinde quia animi eiusque corporalis proprium est, ab ipso effectum, tertio, quia hominis est, quod fortasse utrumque amplectitur. Quam si quis dubitat differentiam substrato propriam in bono esse, legat epist. Sen. 102., qui, generibus substratorum expositis, hoc modo continuat orationem: "Nullum bonum putamus esse, quod ex distantibus constat, uno enim spiritu unum bonum contineri ac regi debet, unum esse unius boni principale." Spiritus vero hic seu ens continet materiam, quae in bono nihil aliud, quam *utile* esse videtur, quod quidem efficitur; cui cum opponatur honestum, hoc boni ens vel causam habeo. Praetermitto argumenta, quae inde peti possunt, quod honestum, ut ens, nullam accessionem recipiat (ep. 66.) et honestum *ex se* esse, bonum ex honesto fluere dicitur (ep. 118.); honestum enim ens esse, si conceditur, ad conjecturam meam affirmandam id quoque valet, quod honestum et utile (Diog. VII. 99. 100. Cic. de off. I. 3. II. 3. III. 4.) et opponuntur inter se et

aequantur ad entis et essentiae similitudinem. Accedit denique definitio essentiae boni, quae ad sensum non diversa est ab utilitatis descriptione; Plut. enim de comm. notit. c. 27. p. 1072. c. *Οὐσίαν τἀγαθοῦ τίθενται τὴν εὐλόγιστον ἐκλογὴν τῶν κατὰ φύσιν.* Utilitatem vero Cicero (de off. II. 4.) in hominum animis ponit res naturales ad suum usum conformantibus.

Hic, ut saepius in ethice, de qua rariora exstent Chrysippi fragmenta, ut cuiusque partis sectiones ex categoriis factas restituam, ad conjecturas mihi confugiendum est, ita tamen, ut ab iis, quae apud Diogenem aliosque leguntur, profectus, quae hisce insit dividendi ratio, inquiram. Diogenes l. l. de bonis, ut substratis, agere videtur §. 94—97. incl., quo pertinent Chrysippi libri *περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς, ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν τέλος, ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν.* Quomodo prodeant ex illis qualitates seu habitus et dispositiones, ostenditur §. 98., id quod Chrysippus docuerit libro *περὶ ἀγαθοῦ.* Actionum, quae utile spectent, ortum et indolem Diogenes indicat §. 99., Chrysippus fortasse adumbravit in libris *περὶ ἀγαθῶν.* Honestum denique, quod exemplaris instar §. 100 et 101. describitur, a Chrysippo in libris *περὶ καλοῦ* adumbratum relationem utilitatis ad illud absolute honestum et bonum indicat. Totum hunc locum Stobaeus tractavit p. 90—102.

Virtutes, quarum adumbratio disputationem de bonis et malis exceperit necesse est, esse qualitates, multis locis luculenter indicatur et Chrysippus opere singulari demonstrare studuit contra Aristonem *) scripto, de quo Galenus (de Plat. et Hippocr. plac. VII. c. 1. ed. Bas. Vol. I. p. 309. ed. Kühn. Vol. V. p. 589.) ita disputat: *Εἴ τις ἐπεξέρχοιτο τῷ λόγῳ τάς τε περὶ τῆς ψυχῆς διαφορὰς τῶν ἀρετῶν ἐν τέτταρσι βιβλίοις* **) *ὑπὸ Χρυσίππου γεγραμμένας βασανίζων, ὅσα τε καθ' ἓν ἄλλο διῆλθεν, ὡς δείκνυσι ποιὰς εἶναι τὰς ἀρετὰς ἐλέγχων τὸν Ἀρίστωνος λόγον, οὐχ ἑνὸς ἢ δυοῖν, ἀλλὰ τριῶν ἢ τεττάρων δεηθείη βιβλίων.* Quod ni disertis verbis traditum esset, colligi posset inde, quod virtutes ex honesto deducuntur, quemadmodum qualitates ex ente (Diog. VII. 100. Cic. de off. I. 3.). Virtutum distinguuntur duo genera apud Diogenem (VII. 90.) hoc modo: *Ἀρετὴ δὲ η μέν τις κοινῶς παντὶ τελείωσις, ὥςπερ ἀνδριάντος· καὶ ἡ ἀθεώρητος, ὥςπερ ὑγίεια, καὶ ἡ θεωρηματική, ὡς φρόνησις. Φησὶ γὰρ ὁ Ἑκάτων ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἀρετῶν, ἐπιστημονικὰς μὲν εἶναι καὶ θεωρηματικὰς τὰς ἐχούσας τὴν σύστασιν ἐκ θεωρημάτων, ὡς φρόνησιν καὶ δικαιοσύνην, ἀθεωρήτους δὲ τὰς κατὰ παρέκτασιν θεωρουμένας ταῖς ἐκ τῶν θεωρημάτων συν-*

---

*) Cf. supra Introd. I. p. 18. Nota.

**) Significat libros *περὶ τῆς διαφορᾶς τῶν ἀρετῶν πρὸς Διόδωρον*, δ'. Diog. VII. 202.

εστηκυίαις, καθάπερ ὑγίειαν καὶ ἰσχύν. *) Virtutibus propriis, quae hic *θεωρητικαὶ* vocantur, recensitis et definitis, Stobaeus idem discrimen ita constituit Ecl. II. 7. p. 108. *Ταύτας μὲν οὖν τὰς ῥηθείσας ἀρετὰς τελείας εἶναι λέγουσι περὶ τὸν βίον, καὶ συνεστηκέναι ἐκ θεωρημάτων· ἄλλας δὲ ἐπιγίγνεσθαι ταύταις, οὐκ ἔτι τέχνας οὔσας, ἀλλὰ δυνάμεις τινὰς ἐπὶ τῆς ἀσκήσεως περιγιγνομένας, οἷον τὴν ὑγείαν τῆς ψυχῆς καὶ ἀρτιότητα καὶ τὴν ἰσχὺν αὐτῆς καὶ τὸ κάλλος.* Utriusque generis virtutes definiendo non in universum ad qualitatem referuntur, sed ad eius diversitatem et ipsae diversae sunt; quam diversitatem exposuit Stobaeus p. 98. *Τῶν δὲ περὶ ψυχὴν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι διαθέσεις, τὰ δὲ ἕξεις μέν, διαθέσεις δ' οὔ, τὰ δὲ οὔτε ἕξεις οὔτε διαθέσεις· διαθέσεις μὲν τὰς ἀρετὰς πάσας, ἕξεις δὲ μόνον καὶ οὐ διαθέσεις τὰ ἐπιτηδεύματα καὶ τὴν μαντικὴν καὶ τὰ παραπλήσια, οὔτε δὲ ἕξεις οὔτε διαθέσεις τὰς κατ' αὐτὰς ἐνεργείας, οἷον φρόνησιν καὶ τὴν τῆς σωφροσύνης κτῆσιν καὶ τὰ παραπλήσια* (Cf. Diog. VII. 98.). Virtutes, quae dispositiones esse dicuntur, cum ab iis, quae non nisi habitus sunt, distinguantur, ex parte saltem et dispositiones et habitus sint necesse est; cuiusmodi tamen solas virtutes *θεωρηματικὰς* neque etiam *ἀθεωρήτους* esse, sequentia docent; quod etiam inde colligas, quod

---

*) Hanc differentiam laudat Schleiermacherus Kritik der der Sittenl. p. 259.

ipsius corporis sanitas pro sola dispositione habetur. Virtutes vero *θεωρηματικὰς* utrumque esse, pro certo habemus ex earum definionibus, quibus dispositiones aut habitus esse dicuntur (Diog. 92 et 93.). Virtutes vero *ἀθεώρητοι*, quae non nisi dispositiones sunt, eo a *θεωρηματικαῖς* distinguuntur, quod nec disciplinae nec artes sunt, quae in solis *θεωρηματικαῖς* cernuntur Stob. p. 92. *Τῶν δ' ἀρετῶν τὰς μὲν [εἶναι] ἐπιστήμας τινῶν καὶ τέχνας, τὰς δ' οὔ· φρόνησιν μὲν οὖν καὶ σωφροσύνην καὶ ἀνδρείαν καὶ δικαιοσύνην ἐπιστήμας εἶναι τινῶν καὶ τέχνας· μεγαλοψυχίαν δὲ* *) *καὶ ῥώμην καὶ ἴσχυν ψυχῆς οὔτ' ἐπιστήμας εἶναι τινῶν οὔτε* **) *τέχνας.* Virtutes hae *ἀθεώρητοι* nec disciplinae nec artes esse dicuntur, studia vero, etsi ne virtutibus quidem annumerantur, neque disciplinae sunt, pro artibus tamen habentur, quod testatur Stob. Ecl. II. 7. p. 120. *Φιλομουσίαν δὲ καὶ φιλογραμματείαν καὶ φιλιππίαν καὶ φιλοκυνηγίαν καὶ καθόλου τὰς ἐγκυκλίους λεγομένας τέχνας ἐπιτηδεύματα μὲν καλοῦσιν, ἐπιστήμας δ' οὔ. Ἐν ταῖς σπουδαίαις ἕξεσι ταῦτα καταλείπουσι καὶ ἀκολούθως μόνον τὸν σοφὸν φιλόμουσον*

*) Sane mirandum est, hic *μεγαλοψυχίαν* nec disciplinam nec artem esse dici, cum non apud Diogenem tantum (VII. 93.), sed apud ipsum Stobaeum (p. 106.) diserte *ἐπιστήμη* definiatur. Cum nostro loco lectio falsa esse nequeat, paullo enim post *μικροψυχία* inter *ἀγνοίας* et *ἀτεχνίας* refertur, duplex eiusdem vocis vis ponenda est.

**) Recte Heeren pro *καὶ* restituit *οὔτε*.

εἶναι λέγουσι καὶ φιλογράμματον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων κατὰ τὸ ἀνάλογον. De hisce studiis infra etiam disserendum est, actiones enim, quae ex iis originem ducunt, non minus quam actiones vel vires eae (*ἐνεργείαι*), quae e virtutibus proficiscuntur, in tertiam cadunt categoriam ideoque in sequente ethices parte tractandae sunt. Quod hae actiones iisdem vocabulorum formis, quibus virtutes significantur, ut *φρόνησις* et actionem et virtutem indicat, nos attentiores facere debet, res enim omnino diversas eadem voce exprimi, satis manifestum est, cum ex hoc loco, tum ex iis, qui infra afferendi sunt; ceterum huius discriminis etiam supra in tertia categoria p. 116 et 196 mentio est facta. Diogenes hunc locum §. 90—93. separatim tractavit, Stobaeus vero p. 102—114. disputationi de bonis et malis immiscuit. Virtutes, ut potentias, non qualitates tantum, sed animantes etiam haberi, jam praetermitto, ad subdivisionem transiens. Diogenes hanc partem negligentius tractavit, quam ex quo subdivisio cognosci possit, neque Stobaeus, cum ordine utatur a re nostra alieno, dux nobis esse potest; quare sola ceterarum partium similitudo viam nobis monstrat. Etenim quo libro de fonte virtutum, qui in bonis, ut substratis, latet, Chrysippus disputaverit, ne hoc quidem usquam invenio, quamquam eiusmodi fuisse potest *ἡ εἰς-αγωγὴ ἡ εἰς τὴν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν πραγματείαν.* Ad quam partem in virtutis substrato versantem

ea pertinent, quae Diogenes de virtutis perfectione (*τελειώσει*) et corporis et animi virtutibus inter se diversis aliisque §. 90 et 91. disputat. Libri de virtutibus velut qualitatibus a Chrysippo scripti enumerantur in indice §. 202.: *περὶ ἕξεως, περὶ τέχνης καὶ ἀτεχνίας, περὶ τῆς διαφορᾶς τῶν ἀρετῶν, περὶ τοῦ ποιὰς εἶναι τὰς ἀρετάς*, quorum argumentum Diogenes significat §. 92 et 93. Virtutes qua ratione aliquo modo se habeant, Diogenes quidem omnino omittit, fragmenta autem indicant e libro *περὶ ἀρετῶν* servata; quippe qui, cum etiam in indice librum *περὶ τοῦ ποίας εἶναι τὰς ἀρετὰς* excipiat et necessariam omnium virtutum cohaerentiam in agendo conspicuam tractaverit, illud aliquo modo se habere in virtutibus respexisse videatur. Relatio denique virtutum cernitur in justitia, sensu latiore accepta, qua homines alii cum aliis et omnes cum Diis cohaereant, quam quidem ita descripsit Chrysippus in libris *περὶ δικαιοσύνης*.

Felicitas seu vita beata, de qua nunc disserendum est, ex categoriarum comparatione aliquo modo se habeat necesse est, cuius notionis generibus si felicitatem conferimus, haec in nullum aliud incidere potest, quam affectionis, quae et substantivo et infinitivo exprimi potest, sensu paullulum mutato, sive felicitatem dicas sive felicem esse; felicitas enim est scopus, ad quem tendamus oportet, felicem esse finis actionis, qua ad illum scopum pervenimus. Felicitas et convenientia inter

se opponuntur et aequantur, quemadmodum felicem esse et naturae convenienter vivere, ut utraque notio eandem quidem rem, sed a diversis partibus significare videatur. Nusquam quidem in hac parte definienda ea vocabula reperiri, quibus in categoria tertia genera singula exprimuntur, (nisi *κατηγόρημα* eiusmodi est, Stob. p. 136.), sed cum vocabulorum formae, tum ipsae notiones categoriis collatae satis aperte docent, felicitatem vel beatam vitam, quam etiam vitae tranquillitatem vocant (Diog. VII. 88.), esse affectionem (*σχέσιν*), cuius genera situm esse et habere in hac felicitatis et convenientiae oppositione agnoscuntur; felicitas enim aperte est situs seu conditio feliciter se habentis, convenientia, animi actio naturae obediens, habendi vim continet. Si in Posidonii fragmento apud Galenum de Hippocr. et Plat. decret. (Vol. I. pag. 291. ed. Bas. Vol. V. p. 469. ed. Kühn. in Bakii libro p. 223.) Stoici vetustiores afferuntur *ἐν τοῖς περὶ τῆς εὐδαιμονίας καὶ ὁμολογίας*, colligas, a loco *περὶ ὁμολογίας* exceptum esse illum *περὶ εὐδαιμονίας*, sicut situs notionem sequitur notio habendi. Utraque si praedicatione exprimitur, idem esse dicitur atque *κατ' ἀρετὴν ζῆν*, quod cum finis (*τέλος*) vocetur, in hac finis (*τέλους*) notione et felicitatem et convenientiam contineri arbitror (Stob. Ecl. II. 7. p. 136—138.). Convenientiae contraria est inconvenientia (*ἀνομολογία*), quam a Chrysippo in singulari libro

illustratam, antequam convenientia exsistere possit, sublatam esse oportere videmus. (Cf. Plut. de virt. morali c. 10. p. 450. C.) Cum eodem modo felicitati contraria sit infelicitas (*κακοδαιμονία*), a Posidonio (apud Galen. l. l.) conjunguntur *ἡ ἀνομολογία* et *ὁ κακοδαίμων βίος*. Jam quemadmodum motiones diversae sunt e qualitatibus, quibus originem debent, ita ex honesti generibus et virtutibus deducuntur honestae actiones, quas esse motiones ideoque ad tertiam categoriam pertinere, non ipsarum tantum indoles docet, sed etiam exempla ad tertiam categoriam et ad harum actionum notionem illustrandam allata affirmant. Ex honesto actiones derivat Diogenes VII. 100. *Εἴδη δὲ εἶναι τοῦ καλοῦ τέτταρα, δίκαιον, ἀνδρεῖον, κόσμιον, ἐπιστημονικόν· ἐν γὰρ τοῖςδε τὰς καλὰς πράξεις συντελεῖσθαι.* Quas actiones honestas si post locum *περὶ τέλους* disquisitas esse ponimus, haec partium dispositio cum tertia categoria accurate convenit; in partitione enim ethices speciali, quam supra exhibui, loci *περὶ τέλους περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων* conjuncti erant. Itaque *πρώτη ἀξία* continere videtur felicitatem et convenientiam, *τέλος* praeterea honestas actiones amplectitur, a quibus non diversa esse recte facta (*κατορθώματα*), exempla et definitiones demonstrant. Stobaeus quidem (II. 7. p. 192.) definitionem praebet recte factorum, qua haec motionibus et effectionibus vindicentur, atque exempla addit, quibus eadem

ad actiones a Diogene honestas vocatas referantur: *Ἔτι τῶν ἐνεργημάτων, φασί, τὰ μὲν εἶναι κατορθώματα, τὰ δὲ ἁμαρτήματα, τὰ δὲ οὐδέτερα. Κατορθώματα μὲν τὰ τοιαῦτα· φρονεῖν, σωφρονεῖν, δικαιοπραγεῖν, χαίρειν, εὐεργετεῖν, εὐφραίνεσθαι, φρονίμως περιπατεῖν, πάνθ' ὅσα κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττεται· ἁμαρτήματα δ' εἶναι τό τε ἀφραίνειν καὶ τὸ ἀκολασταίνειν καὶ τὸ ἀδικεῖν καὶ τὸ λυπεῖσθαι καὶ τὸ φοβεῖσθαι καὶ τὸ κλέπτειν καὶ καθόλου ὅσα παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττεται. Οὔτε δὲ κατορθώματα οὔτε ἁμαρτήματα τὰ τοιαῦτα· λέγειν, ἐρωτᾷν, ἀποκρίνεσθαι, περιπατεῖν, ἀποδημεῖν καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια.* Cf. p. 158. et Cic. de fin. III. 7., quo posteriore loco recte facta e convenientia deducuntur. Cum igitur recte facta *ἐνεργήματα* esse dicantur i. e. genus motionum vel effectionum, cuiusmodi hoc loco passiones illis opponantur, quaerendum est, quae, si vere secundum categorias dispositio facta est, omissae esse non possunt; quo quidem praeter alia pertinere videtur dolor, sapienti aequo animo tolerandus, quem Cicero huc traxit (de fin. III. 8. 29.). Quae de recte factis disputavi, recte in hoc loco esse posita et restituta, alia praeterea affirmant testimonia. Seneca enim ep. 117. sapere a sapientia hoc modo distinguit: "Placet nostris, quod bonum est, esse corpus: quia quod bonum est, facit; quidquid facit, corpus est. Quod bonum est, prodest: faciat autem aliquid oportet, ut prosit: si facit, corpus est. Sapientiam bonum

esse dicunt: sequitur, ut necesse sit, illam corporalem quoque dicere. At sapere non putant eiusdem conditionis esse. Incorporale est et accidens alteri, id est sapientiae: itaque nec facit quidquam nec prodest. — Isto modo, inquiunt, nec beate vivere bonum est. — Sunt naturae corporum, tanquam hic homo est, hic equus: has deinde sequuntur motus animorum, enuntiativi corporum. Hi habent proprium quiddam et a corporibus seductum: tanquam video Catonem ambulantem: hoc sensus ostendit, animus credit. Corpus est, quod video, cui et oculos et animum intendi. Dico deinde, Cato ambulat: non corpus quidem est, quod nunc loquor, sed enuntiativum quiddam de corpore: quod alii effatum, alii enuntiatum, alii edictum. Sic cum dicimus sapientiam, incorporale quidquam intelligimus" [sapientiae accidens, sapere]; "cum dicimus Sapit: de corpore loquimur" [quod ipsum est incorporale enuntiativum seu appellatum]. Satis aperte Seneca hoc loco virtutum et recte factorum discrimen exposuit. Sapientia enim, si definitionem a Seneca additam spectamus, Graece est *φρόνησις* et sapere *φρονεῖν*, quae exempla jam saepius ad hanc differentiam illustrandam allata sunt. Idem locus non solum corporalium et incorporalium differentiam ethicae quoque esse accommodatam ostendit, sed simul ethices atque logices ad categorias constitutae consensum indicat. Ex quo intelligitur, boni notionem hic eam

esse tenendam, quae substratum et quale tantum comprehendat i. e. quod sit perfectum secundum naturam animantis rationalis, non etiam, quod eius particeps sit (Diog. VII. 94.). Hoc enim sensu arctiore sola virtus et, quod ei substratum est, honestum putantur bona; sensu latiore etiam sapere bonum est, quod cum pravo accidere non possit, non indifferens est. Quo sensu et felicem esse et sapere omniaque, quae in felicitatem et convenientiam cadunt, bona sunt. Ita repugnantia solvitur, quae obtinere videntur inter Senecam et hunc Stobaei locum: (Ecl. II. 7. p. 126.). *Ἔτι δὲ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι ἐν κινήσει τὰ δὲ ἐν σχέσει. Ἐν κινήσει μὲν τὰ τοιαῦτα, χαράν, εὐφροσύνην, σώφρονα ὁμιλίαν· ἐν σχέσει δὲ τὰ τοιαῦτα, εὔτακτον ἡσυχίαν, μονὴν ἀτάραχον, προσοχὴν ἐπανδρον.* Qui locus sententiam meam de finibus bonorum ad tertiam categoriam constitutis prolatam fere certam reddit. Affectionum enim et motionum exempla a Stobaeo hic allata non solum definitionibus harum notionum conveniunt, sed eadem quoque sunt atque, quae supra e Cicerone aliisque ad felicitatem et convenientiam illustrandam adduxi. Id solum interest, quod eaedem notiones illic aliis vocabulorum formis exprimuntur atque hic. "Nulla enim re prohiberi, nulla egere" (Cic. de fin. III. 7. 26.), quid aliud est, quam *εὔτακτος ἡσυχία* et *μονὴ ἀτάραχος*? "absolute vero fortunate vivere" in *προσοχῇ ἐπάνδρῳ* contineri ex iis intelligitur,

quae Cicero convenientiam describens adjungit: "Quem unquam, inquit (c. 8. §. 29.), stabili et firmo et magno animo, quem fortem virum dicimus effici posse, nisi constitutum sit, non esse malum dolorem?" Quod quidem fusius docere non huius est loci. Motionis denique exempla fere eadem sunt ac recte factorum, *χαρὰ* atque *χαίρειν*, *εὐφροσύνη* atque *εὐφραίνεσθαι*; praeterea si *φρονίμως περιπατεῖν* seu *φρονίμη περιπάτησις* eiusdem loci est ac *φρονεῖν*, quid impedit, quo minus *σώφρων ὁμιλία* seu *σωφρόνως ὁμιλεῖν* eodem pertineat, quo *σωφρονεῖν*? Si categoriam tertiam respicimus, restant *ποιὸν* et *ποσόν*, *ποὺ* et *ποτέ*, e quibus notionibus quid in hac parte ethices constitutum sit, quaeri potest. At ut ratione et via progrediamur, prius, quid in hac ethices parte omiserim, deinde quomodo, si quid detexerim, hoc cum ceteris cohaereat, quaerendum est. Stobaeus l. l. priusquam ad aliquo modo in bonis se habentia pergit, haec profert p. 126. *Τῶν δὲ ἐν σχέσει τὰς μὲν καὶ ἐν ἕξει εἶναι, οἷον τὰς ἀρετάς, τὰς δ' ἐν σχέσει μόνον, ὡς τὰ ῥηθέντα. Ἐν ἕξει δὲ οὐ μόνας τὰς ἀρετάς, ἀλλὰ καὶ τὰς ἄλλας τέχνας τὰς ἐν τῷ σπουδαίῳ ἀνδρὶ ἀλλοιωθείσας ὑπὸ τῆς ἀρετῆς καὶ γενομένας ἀμεταπτώτους, οἱονεὶ γὰρ ἀρετὰς γίγνεσθαι. Φασὶ δὲ καὶ τῶν ἐν ἕξει ἀγαθῶν εἶναι τὰ ἐπιτηδεύματα καλούμενα, οἷον φιλομουσίαν, φιλογραμματίαν, φιλογεωμετρίαν καὶ τὰ παραπλήσια. Εἶναι γὰρ ὁδόν τινα ἐκλεκτὴν τῶν ἐν ταύταις ταῖς τέχναις οἰκείων*

πρὸς ἀρετὴν ἀναφέρουσαν αὐτὰ ἐπὶ τὸ τοῦ βίου τέλος. Artes igitur liberales, quas Graeci *ἐγκυκλίους* vocant (Sen. ep. 88.), inter virtutem et actionem medium tenentes ab homine industrio (*σπουδαίῳ*) ad finem bonorum referuntur ideoque etiam in hac parte tractandae erant. Objiciat aliquis, hasce artes esse corporales neque hanc ob causam in hunc locum cadere posse. Recte quidem ita moneatur, sed minus ipsae huius loci esse videntur, quam eorum studium, opinor, incorporale. Omnibus enim artibus istis syllaba *φιλο* praefigitur et ipsae Graece *ἐπιτηδεύματα*, Latine studia vocantur. Ad sententiam meam affirmandam alium etiam Stobaei locum adscribo p. 120. *Φιλομουσίαν δὲ καὶ φιλογραμματείαν καὶ φιλιππίαν καὶ φιλοκυνηγίαν καὶ καθόλου τὰς ἐγκυκλίους λεγομένας τέχνας ἐπιτηδεύματα μὲν καλοῦσιν, ἐπιστήμας δ' οὔ, ἐν τε ταῖς σπουδαίαις ἕξεσι ταῦτα καταλείπουσι καὶ ἀκολούθως μόνον τὸν σοφὸν φιλόμουσον εἶναι λέγουσι καὶ φιλογράμματον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων κατὰ τὸ ἀνάλογον. Τό τε ἐπιτήδευμα τοῦτον ἐπιγράφουσι τὸν τρόπον, ὁδὸν διὰ τέχνης ἡμέρου ἄγουσαν κατ' ἀρετήν.* Qui locus nos docet, studia ista non tantum esse artes, sed rationem etiam suppeditare, qua artium quarundam ope ad virtutem feramur. In quibus si *quale* et *quantum* huius loci positum esse suspicor, non a vero aberrare mihi videor, quamquam *quale* facilius in studiis illis agnoscitur, quam *quantum*. At cum studia haec

in habitibus posita sint, qui et intendi et remitti possint, dispositione non concessa, de *quanto* etiam in iis quaesitum esse, veri non est dissimile. Nisi potius duo artium genera hic proposita fuerunt, quod ex ep. 88. Senecae conjicio, e quibus alterum *qualia* inquisiverit, alterum *quanta.* Ad haec duo saltem quatuor Posidonii genera referri possunt. Artes enim vulgares, quae manu constant et ad instruendam vitam occupatae sunt, atque artes liberales seu pueriles (ἐγκυκλίοι sensu arctiore) in *qualibus* versari videntur, ludicrae contra machinatorum et mathematicae in *quantis.* Justum hisce artibus locum a me esse assignatum, Ciceronem quoque testem provoco, qui (de fin. III. 15. 49.), etsi paullo obscurius, earum cum finibus bonorum connexum aperiat, atque Senecam, qui Posidonium omnium artium inventionem *sapientiae* tribuisse narret. Restat opportunitas seu occasio (εὐκαιρία), quae cum in finibus bonorum constituendis commemoretur, hic explicetur, quantum fieri potest, oportet; cum felicitate enim quodammodo cohaerere videtur. Cicero de fin. III. 14. 45. haec de ea profert: "Quemadmodum opportunitas, (sic enim appellemus εὐκαιρίαν), non fit major productione temporis, (habent enim suum modum, quaecunque opportuna dicuntur), sic recta effectio (κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam recte factum κατόρθωμα), recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum,

quod in eo positum est, ut naturae consentiat, crescendi accessionem nullam habet." Quo loco ne quis putet opportunitatis mentionem factam esse non nisi comparationis causa, sequentia etiam adscribenda esse duxi (§. 46.). "Ut enim opportunitas illa, sic haec, de quibus dixi, non fiunt temporis productione majora: ab eamque causam Stoicis non videtur optabilior nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis: utunturque simili: ut si cothurni laus illa esset, ad pedem apte convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur, nec majores minoribus: sic quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus nec longinquiora brevioribus anteponentur." Ex quo intelligitur, opportunitatem aeque ac convenientiam ad beatam vitam pertinere, quippe quibus omne eius bonum finiatur. Eodem pertinent, quae Seneca ep. 22. profert: "Non tantum praesentis, sed vigilantis est *occasionem* observare properantem. Itaque hanc circumspice: hanc si videris, prende. — Nulli necesse est *felicitatem* cursu sequi, est aliquid etiam, si non repugnare, subsistere nec instare fortunae ferenti." In qua opportunitate spectari *locum* et *tempus* vel *ποὺ* et *ποτέ*, satis apparet e Ciceronis libro I. de off. 40., ubi *εὐκαιρία* sensu arctiore definitur: scientia opportunitatis idoneorum ad agendum *temporum*, *εὐταξία* illi opposita, scientia earum rerum, quae agentur

aut dicentur, *loco suo* collocandarum. Doctrinae de finibus bonorum partes, quas reperimus, jam secundum tertiam categoriam ita collocandae sunt: Si summum bonum vel finis bonorum est naturae convenienter vivere, hoc quatuor rationibus in disquisitionem vocari potest; primo enim quaerendum est, quae studia e virtute eliciat natura, ut homines sibi obedientes faciat, deinde quid praebeat natura, cuius participes vel potentes facti, ei obedientiam praestent, tum qui efficiatur status, hominum studiis ad naturam tendentibus et occasionibus arreptis, quibus denique actionibus et passionibus hic status agnoscatur. Hoc modo nascuntur de studiis, de opportunitate, de felicitate atque convenientia, de recte factis et toleratis disputationes. Haec pars etsi per se latissime patet, priorum tamen categoriarum et posterioris quoque rationem habet, id quod e Ciceronis libris de finibus bonorum et malorum probavimus. Restat, ut singulas sectiones indicemus. Finis bonorum, qui proprie singulari numero dicitur: *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῇν,* si ad substrata externa refertur, ita exprimitur (Diog. 87.): *κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων ζῇν,* qua ratione Chrysippus instituit disquisitionem *περὶ τελῶν,* quam imitatus est Cicero de *finibus* scribens; *finem* enim istum singulari numero expressum potius obiter tangit, quam explicat, eius nexum praecipue adumbrans cum notione boni, ad quam redit c. 10.

Ut ad finem istum (τέλος), quem saepius dixi, perveniret, viam sibi munivit per virtutem seu qualitatem in toto mundo et quoque homine eandem, quae legem constituit communem, cui obedientes homines, quod iis propositum est, assequuntur. De qua lege fortasse disputavit Chrysippi liber *περὶ νόμου*, ex quo disputat Cicero de legibus libro I.; qui cur in libris de finibus ne mentionem quidem faciat legis divinae, ubi debuisse mihi quidem videtur, vix intelligi potest; nisi ex lege hac deductae sunt res expetendae et fugiendae, per quas c. 11. ad quaestionem de summo bono (*περὶ τέλους*) pervenit. Jam sequitur quaestio de ipso summo bono, quam fusius explicavimus, a Chrysippo in libris *περὶ τέλους*, *περὶ ὁμολογίας* et *περὶ κατορθωμάτων* scriptis soluta. Iis, quae ad finem bonorum pertinent, breviter indicatis, "deinceps, inquit Cicero (de fin. III. 15. §. 50.), explicatur differentia rerum," quam ex quarta categoria ad tertiam adhibita esse constitutam Stobaeus docet Ecl. II. 7. p. 144. *Τὸ γὰρ διαφέρον καὶ ἀδιάφορον τῶν περὶ πρός τι λεγομένων εἶναι. Διότι κἄν, φασί, λέγωμεν ἀδιάφορα τὰ σωματικὰ καὶ τὰ ἐκτός, πρὸς τὸ εὐσχημόνως ζῆν, ἐν ᾧ πάρεστι τὸ εὐδαιμόνως, ἀδιάφορά φαμεν αὐτὰ εἶναι, οὐδὲ πρὸς ὁρμὴν καὶ ἀφορμήν. Ἔτι δὲ τῶν ἀδιαφόρων τὰ μὲν πλείω ἀξίαν ἔχειν, τὰ δ' ἐλάττω· καὶ τὰ μὲν καθ' αὑτά, τὰ δὲ ποιητικά· καὶ τὰ μὲν προηγμένα, τὰ δὲ ἀποπροηγμένα, τὰ δ' οὐδετέρως ἔχοντα.*

"Differens et indifferens ad ea pertinet, quae de *relatis ad aliquid* dicuntur. Itaque, inquiunt, si indifferentia appellemus corporalia et externa, haec indifferentia esse dicimus, ratione habita decore vivendi, in quo inest felicitas, non e ratione appetitus et aversationis. Indifferentium alia majorem dignitatem habent, alia minorem, alia per se sunt, alia efficientia, alia praeposita, alia rejecta, alia neutra." In qua subdivisione praeposita et rejecta priores differentias admittunt, ut utraque aut majorem habeant sive dignitatem sive indignitatem, cuiusmodi sunt, quae ad animum pertinent, aut minorem, cuiusmodi sunt, quae ad corpus pertinent et externa, vel per se sint vel efficiant ea, quae per se sunt. Haec ultima divisio, cui Cicero tertium genus addit eorum, quae simul per se sunt atque efficiunt alia eiusmodi, ab eodem hic etiam bonis accommodatur (§. 55.). "Sequitur illa divisio, ut bonorum alia sint ad illud ultimum pertinentia, alia autem efficientia, alia utrumque; de pertinentibus nihil est bonum praeter actiones honestas: de efficientibus nihil praeter amicum: sed et pertinentem et efficientem sapientiam volunt esse." (§. 56.) "Haec, quae praeposita dicimus, partim sunt per se ipsa praeposita, partim, quod aliquid efficiunt, partim ob utrumque." Ex Stobaei loco in hac sectione esse relationem vidimus, idem eam ad disputationem de extremo vel fine bonorum pertinere ostendit: *Διότι κἄν,*

φασί, λέγωμεν ἀδιάφορα τὰ σωματικὰ καὶ τὰ ἐκτός, πρὸς τὸ εὐσχημόνως ζῆν, ἐν ᾧ πάρεστι τὸ εὐδαιμόνως, ἀδιάφορά φαμεν αὐτὰ εἶναι. Quibus verbis indifferentia, etsi nihil ad beatam et convenientem vitam conferre dicuntur, huius tamen ratione habita in disquisitionem vocantur. Praeterea ne quis opponat, corpora nobis ob oculos versari, ubi de incorporalibus sermo esse debet, monendum est, minus de rebus aestimandis, quam de ipsa aestimatione disceptari, quae est actio animi, quod testatur Stobaeus Ecl. II. 7. p. 153—156. Quo quidem libro hanc rem Chrysippus tractaverit, ne conjectura quidem assequi possum.

Jam ad quartam partem in divisione speciali *de officiis* inscriptam pervenimus, in qua, duce Cicerone, ab initio sectiones persequemur. Cicero quidem de fin. c. 17. §. 58. usque ad finem duas tantum partes majores separat, utraque tamen rursus bipartita est, ut quatuor evadant sectiones. Totus quidem locus de officiis disputat, inprimis autem pars prior, quam Cicero indicat §. 58—61. incl. Ab ea quidem incipere ultimam ethices partem Stobaeus quoque testatur Ecl. II. 7. p. 158. *Ἀκόλουθος δ' ἐστὶ τῷ λόγῳ τῷ περὶ τῶν προηγμένων ὁ περὶ τοῦ καθήκοντος τόπος.* Ceterum duas esse sectiones huius prioris partis, Ciceronis de officiis libri ostendunt, in quorum secundo officia ad utilitatem metitur, in primo e virtutibus, ut fontibus, derivat. Cum in illo substrati, in hoc qualitatis

habeatur ratio, jure mireris, a Cicerone ordinem esse conversum, cuius rei Panaetius est accusandus, qui in hoc loco novam ingressus est viam (lib. III. 2. §. 7 — 10.). Liber tertius e mente Ciceronis additus est, in ceteris vetus ratio agnoscitur; primum enim librum ad quatuor virtutes disposuit, in secundo substratorum gradatio reperitur c. 3 — 5., in homine utilitatis causa est aut beneficentia aut gloria, aut potentia aut merces. Utriusque generis officia, i. e. sive ad utilitatem sive ad honestatem respicias, simpliciter sunt relata, e quorum generibus et ipsa sunt inter se diversa. Officia enim e substratis bonis constituta contrariam indicant oppositionem, diligens enim et dilectus, beneficus et in quem beneficia conferuntur, contrarie oppositi esse videntur. Officia autem e virtutibus deducta non contraria utuntur relatione; etenim, ut scientia ad scibilia refertur, ita reddere ad depositum, neque eadem rursus relatio est depositi ad reddendum. In utrisque denique affectionis naturalis et arbitrariae discrimen agnoscis, quo quarta categoria se prodit. *) At in ipsa categoria quarta eorum, quae *aliquo modo* ad aliquid referuntur, exemplum profertur *officium*. Ne hoc quidem sententiae nostrae repugnat, nam latius patet, ut docuimus, de officiis quaestio, quippe quae in sectionibus, de quibus modo locuti sumus, ad sub-

*) Cf. Beyer ad Cic. de off. I. 20.

strata et fontes adumbrentur, in tertia sectione, quam percurrit Cicero in sequentibus (§. 62—67.), ex differentiis relationis aliquo modo se habentis. Lex naturalis sua ipsius similitudine homines ad civitatem condendam ducit, quam ob causam officia hic praecipue civitati sunt accommodanda; quae ratio etiam in officiorum generibus a Simplicio (ad Epict. c. 37. cf. libri mei P. I. c. 5. p. 136.) ad quartam categoriam constitutis agnoscitur. In hac tertia quartae partis sectione, etiamsi simul ad tertiam categoriam respicitur, praevalere tamen videtur quartae ratio, quae in libertatis et necessitatis oppositione cernitur. Sectio denique quarta, quae, etsi a Cicerone pro mala eius consuetudine non satis accurate ab antecedente distincta, tamen propter rei indolem disjungenda (§. 68—73), disserit de sapientibus et stultis, de emolumentis et detrimentis, de commodis et incommodis, de amicitia, de virtutibus denique secundum tres philosophiae partes constitutis. Hoc loco divisionem ethices praetermittere non possum, quam Seneca exhibet (ep. 94 et 95.), in dogmaticam et paraeneticam; quam divisionem ne quis nostrae repugnare putet, huic accommodari posse vel potius eandem esse, docendum est. In dogmatica res ethicas docent, in paraenetica ad bona persequenda et mala fugienda adhortantur; illa igitur duas nostrae partitionis partes priores comprehendit de impetu seu voluntate atque de bonis

malisque; haec paraenetica, ad quam pertinere dicitur praeceptio, eadem est, quam nos nominavimus de actionibus (περὶ πράξεων); praecepta enim ad actiones et officia pertinent. Hanc sectionem ultimam, de qua agimus, accuratius describit Seneca (ep. 95. fin.) auctore Posidonio: "Posidonius non tantum praeceptionem, sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam judicat. His adjicit causarum inquisitionem, quam cur aetiologiam dicere non audeamus, non video. Ait utilem futuram esse descriptionem cuiusque virtutis. Hanc Posidonius ethologiam *) vocat; quidam χαρακτηρισμὸν appellant, signa cuiusque virtutis et vitii ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur." Suasionem, consolationem et exhortationem, ut dehortationem, ad hanc quartam sectionem pertinere, cum eo apparet, quod emolumentis et detrimentis, commodis et incommodis nituntur, tum eo, quod cum descriptione virtutum sapientem ornantium et vitiorum in stulto conspicuorum accurate cohaerent. (Stob. Ecl. II. 7. p. 204.). Ex hac sapientium et stultorum descriptione omnium plurima servata sunt apud Stobaeum et Diogenem, in quibus etsi singulorum ordinem nondum inveni, minime tamen jam de eo resituendo desperandum esse

*) Ita pro "aetiologiam" restituerat Lipsius et Casaubonus; cf. Bake Posid. p. 192.

arbitror. Non a Posidonio demum haec, de quibus disputo, esse adumbrata, Chrysippi docent fragmenta, quae e quibus libris deprompta sint, nunc persequar. Si ad categorias priores respicimus, sectiones easdem faciendas esse reperimus, quas ex ipsa quarta categoria constituimus. In iis, quae de officiis e rerum differentia constitutis disputata sunt, ad substrata esse respectum, locus probat Antonini (VI. 14.) supra P. I. c. 2. p. 56. ad substratum definiendum et dividendum allatus; neque tamen externorum tantum rationem esse habitam, sed internornm etiam ad animum pertinentium, divisio docet indifferentibus et bonis malisque communis (Diog. 102—107. cf. 96 et 97.). Chrysippus in libris *περὶ τῶν δι' αὑτὰ οὐκ αἱρετῶν* et *περὶ τῶν δι' αὑτὰ αἱρετῶν* hanc rem ratione et via tractaverat. In officiorum generibus secundum fontes constitutis a qualitatibus profectos esse Stoicos, Cicero (de off. I. 5 et 6.) satis aperte docet; quam quaestionem a Diogene (§. 107 — 110.) justo loco minus distincte indicatam Chrysippus in libris *περὶ καθήκοντος* inscriptis tractavit, quorum partem fortasse efficiunt, quae ab eo de beneficiis scripta esse dicuntur apud Senecam. De sectione tertia, quam Diogenes l. l. obiter adumbravit, multi exstant Chrysippi libri, qui secundum Ciceronem ita ordinandi sunt: *περὶ ἔρωτος, ἐρωτικαὶ ἐπιστολαί, περὶ γάμου, περὶ παιδείας, περὶ πολιτείας*, in quibus omnibus cum *status* generis

humani describatur, relatio *aliquo modo se habens* conspicua est. Quae relatio ex propria indole apparet in quarta sectione, qua traduntur, quae homines ad sapientiam vivendo propositam persequendam commoveant, eiusque imaginem in sapiente perfectam ostendant. Hanc partem a Diogene fuse (§. 117 — 131.), fusius a Stobaeo (p. 184 — 242.) tractatam Chrysippus exposuit in iis, quae scripsit *περὶ τοῦ προτρέπεσθαι, περὶ προτρεπτικῶν, περὶ βίου καὶ πορισμοῦ, περὶ βίων*. In his libris sapientem in aliis vivendi conditionibus alium descripserunt, quod a veteribus omissum esse minus juste queritur Schleiermacher Krit. d. Sittenl. p. 375. seq. Ethice tota disputat *περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων*, quorum priora duo ad nos pertinent, posteriora non; quod discrimen a nonnullis in capite ethices positum *), huic sectioni proprium (Plutarch. de Stoic. repugn. cap. 30. pag. 1048. *A.* de comm. not. cap. 5. pag. 1060. *E.*), ad hominem vel animi humani partem principalem refertur.

---

*) Aliter idque falso hoc fecit Lilie (de Stoic. philosophia morali Altonae 1800.) pag. 48., quem secutus est Beier (ad. Cic. de off. I. 3.); aliter Bachius (de Antonino) pag. 53., idque melius, etsi non omnino vere. In qua oppositione *σχέσιν φυσικὴν* et *προαιρετικὴν* animadvertimus. Cf. Praef.

Caput V.

Brevis systematis Chrysippei descriptio.

Sapientia est rerum divinarum et humanarum scientia, cui accommodata ars unica et summa appellatur *virtus*; in utraque persequenda et exercenda versatur *philosophia*.

In rebus divinis humanisque cognoscendis aut earum *ortus* est spectandus aut *status perfectus*, quo durante alia semper eadem remanent, alia continuo mutantur. Quae manent aut ex principio inde usque ad interitum ceteris sunt *substrata*, aut, quamdiu singula statum tenent perfectum, permanentia, perfectionis ostendunt *qualitatem*. In iis, quae mutantur, discernenda sunt, quae aliquamdiu *aliquo modo se habent*, ipsis perfectionis facultatibus et mansionis et motionis causam praebentibus, ab iis rationibus, quae ex plurium conditionum et mutationum nexu et concursu oriuntur, quippe quae *relationem* indicent.

Rerum divinarum humanarumque scientiam atque artem exercenti et sive ratione sive oratione persequenti aut a Diis proficiscendum est aut ab hominibus aut ab iis, quae utrisque sunt communia. Triplex igitur est philosophia aut de Diis disserens, *naturalis*, aut de hominibus, *moralis*, aut de cogitatione utrisque communi, *rationalis*.

Harum igitur partium, quibus cunctis eadem proposita est virtus et sapientia, eandem esse di-

visionem apparet, ut aut in rerum origine indaganda versentur, aut in statu perfecto eoque durante describendo, aut in conditione mutabili percipienda. Hoc quoque ab omnibus conceditur, ipsam illam perfectionem in medio loco adumbrari, eius ortum in primo, actionem in tertio. Triplex igitur est quaeque philosophiae pars, quae tamen eadem etiam bipartita esse potest idque duplici ratione; etenim loci duo et priores et posteriores arctius copulari possunt, illi, quod ambo in corporibus explicandis occupati sunt, hi, quoniam in utroque de statu disputatur perfecto. Praeterea, etiamsi hic est naturalis partium ordo, in alium tamen usum eae etiam aliter ordinari possunt. In principe autem ordine, quem constituimus, cum ab ipsa perfectione eius actionem, in illa a substrato qualitatem, in hac ab aliquo modo se habentium conditione relationem discernamus, partes duas posteriores e categoriarum ratione esse constitutas, neminem fugere potest. Ad totius similitudinem singula oriuntur, perficiuntur et intereunt; quod cum, toto permanente perfecto, fiat, in eius descriptione imperfecta et minus magisve perfecta aliud juxta aliud poni oportet, ut eadem diversitas reperiatur in substrato, qualitate, actione et relatione. Quae in toto simul exsistunt, ea cum in mundo tum in eius partibus perficiendis aliud post aliud apparent, ut primus cuiusque in philosophia partis locus ex iisdem differentiis constitutus

sit, quae categorias oblique secant. Diversi igitur perfectionis gradus, qui in omnibus locis iidem repetuntur, quomodo in oriundo deinceps se excipiant, in primo quoque loco describendum erat. Etenim cum singulae res diversos teneant gradus et perfectiores quaeque per inferiores ad perfectionem suam perveniant, cum perfectissimum quodque, tum maxime totus mundus omnes amplectens per omnes gradus adscendat necesse est, quod jam in singulis partibus persequendum est. Sapientia enim rationalis seu logica in Deo homineque eadem primo est adumbranda, hominis tamen praecipue ratione habita, deinde naturalis seu physica Dei in mundo conspicua, ultimo hominis moralis seu ethica, qua ad Dei perfectionem ascendit. *)

§. 1.

Logice.

Ad virtutem rationalem, quae in veris et falsis et neutris discernendis occupata, ut omnis virtus, perfecta in Diis tantum et sapientibus cernitur, ea philosophiae pars ducit, quae *ars logica* vel de arte logica disputatio vocatur. Prima eius pars progressum describit, quo ad illam mentis rationisque perfectionem perveniat homo, qui primum simplici tantum habitu praeditus per naturam et irrationalis animi conditionem non rationalem tan-

*) Schleierm. Krit. der Sittenl. p. 53. 59.

tum animum, sed ipsam fere divinitatem adipisci potest, ex qua Deus et sapiens errore et dubitatione liber vera certissime perspicit. Animus nascentis hominis, ut tabula rasa, non nisi sentiendi vi praeditus est, quae vis *habitus* gradum tenet *). Sensus hic visiones accipit, iisque acceptis ad plantarum similitudinem tanquam floribus secundum *naturam suam* **) laetatur. Visiones eiusdem formae, si saepius repetitae animo imprimuntur, efficiunt notitias, quae quidem hominibus cum bestiis sunt communes, in solis tamen hominibus cogitationum (*νοήσεων*) nomine utuntur. ***) Quae notitiae animo *irrationali* sponte factae, a *rationali* ex voluntate petuntur, unde petitio rationalis originem ****) ducit. Notitiis a rationali animo conceptis sese adjungunt notiones, quibus omnes quidem homines ita gaudent, ut res cognoscere possint †), nemo autem ad veram scientiam efficiendam utitur praeter sapientem, qui propter hanc sciendi facultatem a ceterorum proclivitate ad errandum liber ad Deorum similitudinem ascendit ††). Haec sapientis virtus dialectica,

*) Plut. Plac. Phil. IV. 8.

**) Diog. VII. 86.

***) Plut. l. l. Diog. VII. 51.

****) Stob. Eclog. II. 7. p. 162.

†) Index libr. Chrys. ap. Diog. VII. 210. Suid. s. v. *κατάληψις*. Cf. Diog. VII. 54. Distinguendum esse videtur inter *γνῶσιν* et *ἐπιστήμην*.

††) Ind. apud Diog. *Σύντ. δεύτ.* VII. 210.

quae e multis singulis virtutibus composita est *); cum cogitationem semper comitetur lingua, duas producit disciplinas **), rhetoricen et dialecticen, quarum illa scientia est bene apteque utendi oratione continua, haec in interrogatione et responsione occupata, colloquendi et disputandi scientia. Tota haec prior logices pars et ipsa sensu latiore appellatur rhetorice ***), cui altera pars eodem dialectices nomine opponitur, quippe quae latius patens in veris et falsis et neutris discernendis versatur ****). Haec, ut vidimus, rursus bipartita est.

In secunda logices parte jam perfectus ille sapientiae status nobis ob mentem versatur, ex quo vera perspiciuntur, falsa agnoscuntur et avertuntur, neutra denique ab utrisque distincta in veritatis usum convertuntur. Cum lingua homo ad cogitandum et ad verum sive inveniendum sive pronuntiandum carere non possit, eam sapiens aeque atque ipsam cogitandi vim perspectam habeat necesse est. Neque enim oratione continua quisquam recte uti potest, quin singulorum, ex quibus componitur, vocabulorum naturam indagaverit, neque tamen magis vocabulorum indolem cognitam habet, quin cum materiam, quam effi-

---

*) Diog. l. l. 46.

**) Id. 42 et 210. Σύντ. τρίτη.

***) Cf. supra p. 25. Not.

****) Diog. l. l. 42. fin.

ciunt litterae, tum formam perscrutatus sit, quae in derivatione et flexione cernitur, quas quidem nunc vocant, a veteribus analogiae et anomaliae nomine comprehensas. Sapienti quodcunque enuntianti propositum esse debet, ut vere et distincte loquatur, quod ut fieri possit, quibus legibus oratio continua adstricta sit, ille teneat oportet. Itaque dialecticae et de partibus orationis et de justo harum nexu disserendum est. Ne quis vero verbis nostris falso intellectis abutatur, non vere tantum et distincte, sed etiam proprie, pure, luculenter, decore atque satis eleganter dicendum est; quae de orationis virtutibus disputatio loci de voce tractantis finem facit.

A verbis in cogitatione distinguendae sunt notiones, de quibus jam disserendum est. Cum sapiens non sequi tantum debeat ubique veritatem, sed eius etiam semper conscius esse, cuiusque notionis vim et cognationem perspectam habeat necesse est, ut notiones aut singulae per se aut cum aliis cohaerentes considerentur. Singularum notionum indoles duplice ratione explicatur aut intensione, quae dicitur, aut extensione. Intensio notionum definiendo cognoscitur; definitio enim notiones arctiores subjiciens latioribus et partem principalem ostendit cum aliis communem et differentias uno habitu comprehensas. Ut notionum extensio recte circumscribatur, justus ei locus est assignandus e ratione scientiae. Etenim quam late

pateat una notio, dici nequit, nisi omnibus ceteris certi fines constituti sunt, quare hic totum notionum systema adumbrandum erat, quod efficiunt categoriae. Quaecunque enim notio aut certam significat rem aut constitutivam eius partem aut actionem sive quietam sive motam aut denique relationem sive simplicem sive cum actione conjunctam. Quae notionum genera cum omnibus sint communia, tribus quoque philosophiae partibus fundamento sint necesse est. Cohaerentia notionum cognoscitur aut divisione aut contrarietate. Divisio est generis sectio in species. Pro generis diversitate etiam species diversae sunt. Genus autem est aut corporale aut incorporale; corporale aut quale aut quantum; incorporale aut per se cogitatur aut in aliis; per se sunt locus et tempus, in aliis affectio et motio. A divisione differt et subdivisio et divisio contraria et partitio. Contrarietas quadruplex est aut simpla aut privativa aut oppositio aut relata. Simpla contrarietas est distantia in eodem genere quam maxima. Contrarietas privativa est inter habitum eiusque privationem, oppositio inter affirmationem et negationem, relata denique oppositio eorum, quorum vis in ipsa oppositione sita est.

Sapiens pro ipsa sapientia sua quietem agere non potest; scientia enim, quam tenet, cum aliis est communicanda, veritas, qua initiatus est, aliis impertienda, error denique ex hominum genere

omnino tollendus. Veritas igitur, quam profitetur sapiens, enuntianda est, unde exsistit de enuntiatis doctrina. Neque tamen sufficit vera pronuntiare, sed, errore repugnante, verum est probandum, mendacium, quod ei obsistit, reprobandum, ecce ratiocinandi et concludendi officium. Enuntiata sunt aut integra, propositiones, aut manca, praedicationes. Propositiones, quae semper praedicationem comprehendunt, ex oratione spectatae aut simplices sunt aut compositae, e veritatis notione, aut verae aut falsae, vel aut possibiles aut impossibiles, ex quo discrimine sapiens cuiusque dignitatem agnoscit et ponderat. Prout aut vera declaramus aut falsa rejicimus, sermo aut affirmativus est aut negativus aut primitivus, quem nunc limitativum vocant. Cuiuscunque autem sermonis vis varia est, aliter enim contendimus aliquid, aliter rogamus, aliter percontamur, aliter jubemus, aliter juramus, aliter precamur, aliter aliquem appellamus, aliter denique exclamamus, ex qua enuntiatorum diversitate originem ducunt modi seu qualitates. Quidquid vero enuntiatur, si praedicati rationem habemus, aut quale est aut quantum, aut ubi aut quando aut aliquid habere indicat aut haberi aut facere aut pati. Praeterea si quid enuntiatur vel de aliqua re praedicatur, diversarum notionum nexus et relatio indicatur, aut subjecti tantum et praedicati aut praedicati et objecti sive casu obliquo sive infinitivo sive praepositione annexi.

Locum de enuntiatis sequitur de syllogismis doctrina. Si vera affirmare, falsa infringere nobis propositum est, primo, quibus tantum verborum connectendorum rationibus veritas adumbrari possit, quibus non nisi mendacium, deinde quibus, quod fieri aut debet aut potest, quibus denique, quod nec potest nec oportet, exprimatur, docendum est. Conclusiones aut per se ipsae probant, nulla alia argumentatione indigentes, aut rursus aliis conclusionibus indigent, quibus et ipsae nitantur; utraeque variis gaudent formis vel qualitatibus. Illorum (ἀναποδεικτῶν) e Chrysippi sententia quinque sunt genera, duo conclusionum hypotheticarum, unum negativarum earumque complexarum, duo disjunctivarum. In utrisque si quaeritur, qui sit propositionum nexus, multa evadunt genera conclusionum et earum, quae recte se habent, et earum, quae falso comparatae sunt, siquidem aliae probare videntur neque vere probant, cuiusmodi sunt coopertus (ἐγκεκαλυμμένος), latens (διαλεληθώς), cornutus (κέρατις) aliique syllogismi, aliae vere probant, quod probandum est. Quod discrimen et quaecunque de verbis, notionibus, enuntiatis et conclusionibus disputata sunt, loquendi usu nituntur, cuius auctoritate fretus sapiens agit, quae agit. Oratio igitur, in qua haec omnia versantur, est signum, quod necessario refertur ad res significatas; signum enim esse non potest, nisi est res significata. Itaque dialectice eo redit, unde profecta

erat, ut doceat, rationalem sapientis virtutem esse necessariam et firmam, neque falsis unquam consentire, veris probandis sufficere, falsae argumentationi nunquam cedere, omnia denique referre ad rectam rationem, quae mundum pervadat et regat, ut ex ipsa rationali virtute respiciendum sit ad libertatis et necessitatis discrimen. Cf. Plut. de Stoic. repugn. c. 47. p. 1056.

§. 2.

P h y s i c e.

Virtus *naturalis,* etsi insita est rebus naturalibus, tamen non ab initio fuit perfecta, sed artis exercitatione comparata est. Substratum primum, ex quo omnia facta sunt, duo in se continuit principia, Deum et materiam, quae *habitus* forma conjuncta separari non possunt. Deus, qui seminalis omnium rerum est ratio, materiam movens inde efficit quatuor elementa, in terra remanens ut *habitus*, in aqua ut *natura* *), in aëre *animantis* **) vim assumens, in igne ad *rationis* ***) perfectionem ascendens. Mundo, qui Dei quadam appetitione ****) factus est, substernitur terra, hanc circumfluit aqua, aquam circumdat aër omnia

*) Diog. VII. 136.

**) Plut. de Stoic. repugn. c. 43.

***) Cic. de N. D. II. 9.

****) Id. ibid. 22.

pervadens, quippe qui proficiscatur a principali Dei parte, quae in aethere sita est. Intra terram latent lapides et metalla, ex ea, aqua adjuvante, exsurgunt plantae, supra terram et in aqua aëris ope vivunt animalia, ad coelum vultum erigunt homines igne divino donati. Omnia, quae hoc modo comparata sunt, pro materiae indole certis induta sunt formis atque mensuram servant sive permanentem sive ad certas numerorum leges mutabilem, unde originem ducit mathesis *). Mathesis duplex est aut geometria aut arithmetica, e quibus illa respondet rhetoricae, haec dialecticae arti sensu arctiore acceptae. Hisce mathesis legibus totus adstrictus est mundus, divinae perfectionis particeps, in qua conditio absoluta discernenda est a rerum agitatione ei accommodata.

In mundi absolutione adumbranda hoc opus Dei distinguendum est a causa efficiente seu ipso Deo. E substrati ratione in omnibus mundi partibus ambo principia agnoscuntur: nihil est, cuius materia non perfusa sit ab ente. Terra non magis quam aqua et aër atque stellae, metalla, ut plantae et animantia, totus denique mundus constat ex eadem materia, quae ubique cum continetur tum mutatur ab ente. Agens hoc et efficax

*) Mundum condendum descripsit Chrysippus in libro τὰ φυσικὰ inscripto. Num mathesis systema composuerit, nescimus, difficillimas eius quaestiones solvisse videtur in libro, quem φυσικὰ ζητήματα vocavit.

ens, quod ubique tam subtile est, ut oculis cerni non possit ideoque pro spiritu habeatur, in aliis partibus aliter se exhibet, ut aut simplex sit habitus aut natura aut animus. Quae effecta ab habitu tenentur, rursus alia continent, ut habitus sint habituum, eoque plures, quo major est cuiusque dignitas. Materiae ubique eidem si qualitates accedunt diversae, mundus in quaque parte diversus evadit. In medio sita est terra immota, circa quam cetera moventur. Terram proxime fertur Luna, deinde, etsi multo remotius, volvitur Sol, ambo oblique per orbem signiferum feruntur. Sequuntur stellae, quae errantes vocantur, minime tamen errant, sed certis legibus parent; extremus est siderum fixorum orbis, qui quotidie semel circa terram currit. In hoc coeli motu aeterna agnoscitur lex, quae non diversa est a divina ratione, quae, sedem habens in aethere, inde omnia regit et Jupiter appellatur.

Deos esse, primo docet hominum consensus, ut ex ipsis altaribus hoc concludi possit. Dii praeterea et praesentes se ostenderunt et auspiciis futura aperiunt, bona tribuunt, mala minitantur. Si jam nihil est praestantius mente, mundus autem omnium est praestantissimus, eum a mente perfectissima habitari, sequitur, quo etiam nos ducit naturarum gradatio. Stellarum denique motus sibi constans, iis mentem divinam vindicat. Quales Dii sint, quaerenti cum totus mundus tum singu-

lae stellae rotundam ostendunt formam, omnium perfectissimam. Neque tamen singuli Dii per se sunt absoluti, sed conjuncti absolutionem habent, quare singuli et ali putantur et cum toto mundo interire praeter summum Jovem, qui et ante mundum creatum fuit et post eversum manebit in perpetuum. Nihilo minus cuncti Dii et beati sunt, et quamdiu durant, perfecti sibi sufficiunt ipsi. Ceterum inter se diversi sunt, cum ex diversis, quas incolunt, mundi partibus, quo pertinent Pluto et Neptunus et Juno et Jupiter, tum ex usu, quem hominibus praebent, cuiusmodi sunt Apollo Diana, Ceres, Bacchus, tum denique ex virtutibus, quibus praesunt, atque ex artibus, quas profitentur, cuiusmodi Honos ac Salus et Vulcanus atque Minerva. Ab hisce Diis administrari mundum, huius descriptio optime docet. Omnia tam arcte cohaerent et alia in aliorum usum comparata sunt, ut praeesse ei summum aliquod numen, negari non possit. Omnes enim mundi partes ad habitum, naturam, animum et irrationalem et rationalem et divinum diversae inter se congruunt; sua cuique est magnitudo, quae fluctuante materia eadem remanet; suo quaeque loco posita sunt, infimum tenent gravissima, extremum levissima; terra in medio sita est, mare circum eam, deinde sequitur aër, supremum est coelum. Neque tamen loco tantum, sed etiam tempore omnia definita sunt ad aetatem, annum, menses et dies. Quae denique in

parte inferiore sunt, quiescunt, terra et mare; cetera moventur, legibus obedientia naturae. Ipsa haec Natura suprema lex est, quae omnia regens, singula conservans, cuncta in hominum usum convertit. Naturae enim nomine Jupiter seu summus Deus appellatur, quatenus singulas naturas, inprimis hominum in ipsarum commodum comparavit. Huic Naturae ipsi Dii parent.

Mundus, quem incolit sapiens Deus, pro perfectione sua quietus esse non potest. Actio mundi duplex est aut ad fontium diversitatem spectata aut ad scopum, bonum dico. Si ad substrati motionem respicimus, ipsa principia semper sunt in motu, ut singulae res alia semper dimittant, alia arcessant, unde exsistunt compositio et mixtio et confusio et concretio. Rerum vero potentiae et qualitates, etsi in universum permanent, in singulis tamen rebus semper fluctuant, nunc novas procreant, nunc e rebus solutis in communem causam redeunt; quae est sempiterna generationis et interitus vicissitudo. Omnes praeterea singulae res perpetuo motu fruuntur, quo alia deinceps visa apparent, cuius modi sunt ventus, imber, tonitrua aliaque id genus. Quae huc pertinent, aëris vel ignis vi edita, aut coelestia aut sublimia aut terrena sunt. Quorum causam et naturam ut quis recte investigare possit, videndi et audiendi facultates bene perspectas habeat necesse est. E coeli observatione prodit et coeli et terrae descriptio in

zonas et gradus, secundum quos si stellarum motus notantur, temporis mensura exsistit, ex quo anni et majores et minores, anni tempora, menses, hebdomades, dies noctesque atque horae constituuntur. Omnes partes etsi moventur, firme tamen cohaerent gravitate vel attractionis vi, similia enim se invicem attrahunt. Quae attractio simul conefficit stellarum et siderum versiones, quae partim sunt simplices ad orbis figuram, partim compositae. Neque tamen quidquam casui subjectum est, sed cuncta parent necessitatis legibus ab initio mundi usque ad interitum iisdem, Fati notione comprehensis. Recta mundi ratio, quae Jovis esse dicitur, quatenus in regendo versatur, Natura appellata, quia necessaria est et praedestinata, Fati nomine gaudet.

Non communi tantum legi parent omnes mundi agitationes eique necessariae, sed ad unum etiam omnes scopum tendunt, hominis dico virtuti studentis perfectionem. Homo compositus est ex animo et corpore; corpus est domicilium animi nulla re ad bene beateque vivendum carens, omnibus veri cognoscendi instrumentis instructum. Animus, cui idem finis propositus est, octo constat partibus, quinque sensibus, parte vocali, seminali et principali; haec ultima sedem habet in corde. Sequitur disputatio de animi viribus vel appetitionibus, quae a natura ita comparatae sunt, ut bonum diligant, malum oderint. Pars enim

principalis seu ratio particula est mentis divinae ideoque nihil propositum habere potest a Dei voluntate alienum. Universi homines generis societate conjuncti magnam efficiunt civitatem, cui cives adscripti sunt omnes homines, cuius partibus praesunt Heröes et Dii qui divinam voluntatem hominibus ostentorum et auspiciorum ope aperiunt, interpretibus usi sacerdotibus. Cives pro domicilio habent totum mundum, in quo cuncta hominum usui accomodata sunt a divina Providentia, quippe quae bonis tantum favens mala quidem admittat, in bona autem convertat, ut ipsa mala quodammodo necessaria sint, licet hominum stultitiae et pravitati debeantur. Ratio enim divina, quae per mundum fusa est, non mortua et ipsa immota jacet, sed movetur et vivit ideoque Natura appellatur. Viva haec Natura et vigens non casu et fortuito agit, quae agit, sed certis legibus adstricta est, quam ob causam Fatum et Necessitas vocatur. Fatum denique non est coecum, sed providens bonis consulit atque Providentiae nomine insignitum omnia ad virtutem efficiendam intendit. Ita et humanae voluntati servatur libertas et Providentiae constantia atque firmitas.

§. 3.

Ethice.

Tertia et ultima virtus, quae rursus hominis est, moralis seu ethica eodem modo tractanda est,

ut primo eius originem, deinde perfectionem, ultimo actionem describamus. Data est homini appetitio quaedam, ut rationalis ad discendum, ita moralis [ad agendum *). Quae appetitio primo quidem non nisi facultas appetendi indolem *habitus* habere videtur, in agendo autem ita gaudio effertur, ut quasi efflorescens *naturae* similis sit per se crescenti **). Itaque omnia jam acquirere studet, quae vitam sustentent, aversari, quae noceant, deinceps ad animalium similitudinem, rerum aestimatione facta, quae secundum naturam sunt, tenet, contraria depellit ***). Natura tandem sibimet ipsi consentiente agnita, homo ad boni malique cognitionem ascendit, bonum judicat, quod toti naturae conveniat, malum, quod ab ea alienum sit ****); qua scientia imbutus virtutem parat et omnibus officiis perfungitur. At, ut ratio in errorem delabi potest, ita voluntas, falsis de bono maloque notionibus conceptis, a recta via recedens prava evadit. Falsae opiniones, quibus mala agendi ratio nititur, sunt animi perturbationes, aegritudo, laetitia, metus, libido, quibus sublatis et funditus deletis, ea apparet sapientiae forma, quae *ἀπαθεία*

*) Diog. VII. 85. Cic. de fin. II. 5. Stob. Ecl. II. 7. p. 162.

**) Diog. VII. 86.

***) Cic. de fin. II. 6.

****) Totum hunc locum Chrysippus tractasse videtur in opere, quod inscriptum est *σύνταξις περὶ ὁρμῆς*. — Schleierm. Krit. p. 68. 71. 78.

vocatur. Huic virtuti quasi passivae opposita esse videtur εὐπαθεία activa, ad quam pertinent voluntas, cautio et gaudium. Hanc oppositionem*), quod quidem ad locum attinet, quam quaeque obtinet, non dissimilem puto oppositioni in logice inter rhetoricen et dialecticen, in physice inter geometriam et arithmeticen facta.

Ipsa jam sapientis perfectio et absolutio est describenda, quae bonorum et malorum discrimine nititur. Summa sapientia cum jam aliis rebus non serviat, sed ipse finis sit, ad quem cetera referantur; bonum, in quo utilitas cernitur, distinguendum est ab ipsa perfectione seu virtute, quam sapiens parandam sibi proposuit. Itaque primo de elementis boni, deinde de virtute sermo erit. Boni elementa sunt utile et honestum; utrumque in solis hominum animis situm est; quae enim extra eos sunt, ad perfectionem, quam quaerimus, efficiendam nihil valent. Quemadmodum linguae expositio separatim tractat litteras, vocabulorum formas, verborum structuram et orationis elegantiam, ita de bonis quoque disputatio, primo inquirit boni indolem ubique eandem et quasi materiam, deinde eius diversitatem seu qualitatem, tum variam eius exercendi rationem, ultimo eius cum

*) De animi perturbationibus atque ἀπαθείᾳ disseruit Chrysippus in libris περὶ παθῶν; ubi de εὐπαθείᾳ disputaverit, dicere non possum.

virtute vel sapientia nexum. Bonum est utilitas in virtute posita eoque, quod particeps est virtutis. Bonum, quod ipsum a voluptate discernendum est, quae id comitatur, aut in animo nostro positum est, ut virtus et perfectum officium, aut in alio, ut sapientia aliorum et amicitia, aut in neutro, ut felicitas. Praeterea boni materia aut per se est bona, ut virtus, aut, quia efficit boni aliquid, ut amicitia, aut quod utrumque comprehendit, ut sapientia. Ad qualitatem bona sunt aut habitus tantum, ut studia litterarum, aut simul dispositiones, ut virtutes, aut non nisi dispositiones, ut sanitas mentis, aut denique neutrum, cuiusmodi sunt bonae actiones. Si jam varias utilitatis exercendae rationes spectamus, bonum et conducens est et necessarium et opportunum et commodum et utilitati servit et prodest et expetitur et justum efficit. Quatenus bonum ad perfectionem tendit, aut justum est aut forte aut modestum aut prudens, quae tamen boni genera disjungi non possunt, neque ab utilitate sunt aliena, sed et inter se paria sunt et in virtute conveniunt.

Hac via satis munita progressi ultimam loci antecedentis sectionem pro ponte habemus, quo ad virtutem accuratius considerandam perveniamus. Cuius priusquam diversitatem inspiciamus, ipsius perfectio summa et unica ex appetitione morali *) est repetenda, quam Deus hominibus impertivit,

*) Cf. Schleierm. Krit. der Sittenl. p. 68.

ut ad sui similitudinem ascenderent. Huius perfectionis, quae in virtutibus ponitur, certa ratio reddi potest. Neque enim virtus sponte nascitur, sed theorematis quibusdam i. e. principiis praeceptorum efficitur, quare theorematica vocatur. Hanc sponte sequitur alia virtus non theorematica *), tanquam flos animi. Theorematicas, quae non habitus tantum et dispositiones sunt, sed etiam artes et disciplinae, sequuntur studia quaedam litterarum, quae et ipsa sunt habitus et artes, neque tamen aut dispositiones aut disciplinae. Virtutes non theorematicae, quae non nisi dispositiones sunt, summum sapientiae statum exhibent. In virtute illa unica quatuor se produnt potentiae etsi non disjungendae, tamen discernendae, in theorematica prudentia, justitia, fortitudo et temperantia; in non theorematica, mentis sanitas, integritas, robur et pulcritudo; quarum quaeque rursus dividi potest. Quaerentibus nobis, quomodo se habeant virtutes in agendo stabiles sese praebent et constantes, neque enim disjungi neque mutari possunt, sed in quoque studio, in quaque actione et simul adsint cunctae et aeque validae, quam diversissimum sit tempus et locus, quodcunque propositum habeant, a quovis exerceantur, quidquid denique efficiant vel patiantur. Haec sapientiae absolutio rerum naturae accommodata appellatur justitia, in sa-

*) Schleierm. Krit. d. Sittenl. p. 259. etc.

piente atque Deo eadem; utriusque enim actiones optime congruunt, sive per se sive in mundo admistrando considerantur.

Haec agendi ratio sapienti propria in tertio ethices loco in disquisitionem vocatur, ubi aut simpliciter finis (τέλος) spectatur aut ad singulas res ex eo officia constituuntur, libertatis et necessitatis ratione habita. Ut finis seu recta agendi ratio reperiatur, quaestio de finibus bonorum et malorum praemittenda est. Aliis enim aetatibus alius est finis *): infans semet ipsum tueri studet, puer, quae secundum naturam sunt, sibi parat, adultus demum, postquam sola bona esse honesta intellexit, finem bonorum reperit naturae convenienter vivere. Naturae vero, cui congruenter vivere debemus, lex est cognoscenda, quae quid sit petendum, quid fugiendum constituat. Quae ut recte intelligatur et homines sibi obedientes praebeat, studio litterarum, doctrina et institutione efficitur. Omni igitur, qua potest, vi sapiens in scientiam et eruditionem incumbit, qua vita hominum emendetur et ad humanitatem conformetur. Hac enim via progredimur ad summum illud bonum, convenientiam, quam sponte sequitur felicitas, quae est sapientis conditio per se perfecta et absoluta, quae temporis diuturnitate augeri non potest, sed continua utitur opportunitate. Ut in

*) Lilie de Stoic. phil. mor. p. 55.

virtute perfecta et unica quatuor agnoscuntur genera, eodem modo e convenientia procedunt quatuor rationes virtutibus respondentes prudenter, juste, fortiter et modeste agendi. Felicitas simili ratione constat e quatuor conditionibus, quae virtutibus non theorematicis similes sunt, sana, integra, valida et pulcra mente utendi, quamquam in quaque actione et conditione virtutes cernuntur cunctae *). Actionis diversitas ex rerum, ad quas pertinet, diversitate est aestimatio, quae aestimabilia a contrariis et neutris distinguit, in ipsis aestimabilibus alia facit pluris, quae proposita vocantur, alia minoris, in contrariis habet alia indigniora, quae rejecta vocantur, alia minus indigna.

Actiones non ad finem bonorum, sed ad libertatis et necessitatis discrimen relatae **) res aut extra nos aut in animo nostro positas tangunt. Quae extra nos posita sunt, perfectionis gradu inter se differunt, e quibus quo quid perfectius, eo magis expetitur, quamquam nihil eorum per se expetendum est. Per se expetenda sunt non nisi vere utilia, quae, eadem bona et honesta, deducuntur aut e benevolentia et amicitia aut e gloria et honore aut e beneficentia et liberalitate, in quibus omnibus fortuna non minus valet, quam voluntas. Eadem officia, quae ita oriuntur, si ad fontes consideran-

*) Schleierm. Krit. p. 211.

**) Inde pendet perfecti et medii officii discrimen, quod multos turbavit.

tur, aut ad prudentiam pertinent, aut ad justitiam, cuius pars est liberalitas, aut ad fortitudinem, aut ad temperantiam; in quaque aut ex necessitate aut ex libertate in disquisitionem vocantur. Natura, cui officia quoque media convenire debent, suum cuique assignavit locum. Itaque alia sunt officia in aliis hominum conditionibus; suum cuique negotium, idque peritissimo peritissime est exercendum. Officia vero omnibus hominibus communia ad loci et temporis diversitatem (*κατὰ περίστασιν*) sunt diversa. Praeterea naturalis generis humani conditio est, ut quisque in familia vivat, familiarum conjunctio efficiat civitatem; in utraque suam quisque habet conditionem, in illa alii sunt fratres, alii filius et pater, in hac alii imperant, aliis imperatur. Res publica ut et bene condita sit et conservetur, indiget legibus, quae quid faciendum, quid patiendum, pronuntiant. Leges ut et bene se habeant et observentur, sapientibus opus est gubernatoribus. Ad horum exemplar omnibus vivendum est, sapientia enim cuique proposita est; sapientis igitur imago, quam vita sua exprimere omnes student, ultimum occupat ethices locum. Sapiens bona et mala ab indifferentibus sejungens illa sola ad se pertinere perspectum habet; quare ceteris suadet, ut bona tantum persequantur, mala fugiant, si quid amiserunt, consolatur, docens bona amitti non posse. Exhortatus denique omnes ad felicitatem et convenientiam, bonorum et

malorum, veritatis et erroris causas aperiens atque suam denique sapientiae perfectionem in quacunque vitae conditione eandem describens.

Nunc demum liquere arbitror, quem multi de Stoica disciplina praedicarunt, nemo recentiore quidem tempore docuit, admirandum rerum ordinem et nexum, ut cum Catone (de fin. III. 22. 74.) perorare possim: "Sed jam sentio, me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet; verum admirabilis compositio disciplinae incredibilisque rerum traxit ordo. Quae, per Deos immortales! nonne miraris? quid enim in natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius, aut in operibus manu factis tam compositum, tamque compactum et coagmentatum inveniri potest? quid posterius priori non convenit? quid sequitur, quod non respondeat superiori? quid non sic aliud ex alio nectitur, ut non, si unam litteram moveris, labent omnia? nec tamen quidquam est, quod moveri possit." Quod quidem etsi non eadem elegantia, tamen luculentius, quam Cicero, docuisse mihi quidem videor. Nulla philosophorum schola, quantum equidem scio, protulit systema sibimet ipsi tam congruum, tam constans, nisi novissimam Hegelii disciplinam excipias, quam licet non probes, etiamsi obiter tantum inspexeris, magno cum

acumine esse dispositam, inque omnibus partibus mirifice sibi convenientem intelliges. Idem non minus de Schleiermacheri systemate valere videtur, si quid intra scholae parietes acceptum in publicum efferre licet, cuius mentionem non fecissem, nisi mira quaedam similitudo, quae intercedit inter philosophiam Stoicam et Schleiermacherianam, me fere cogisset. Inprimis quidem mihi innotuit ethice Schleiermacheri, quam quis etiam ex eius libro criticen systematum ethicorum exhibente cognoscere potest; inde eius via et ratio, quantum ad comparationem necessarium est, satis percipi potest. Ipse quidem ethicen Stoicorum Fichtianae confert *), quod ad principia et singula praecepta si respicimus, nemo neget, disponendi autem ratio et ex aliqua saltem parte ipsa philosophandi via, quam apud Stoicos vel potius apud Chrysippum deteximus, Schleiermacherianae simillima est, ne dicam, eadem, praeterquam quod multa a Stoicis minus accurate vel falso proposita ille mutavit et emendavit; quamquam, cum ipse hanc congruentiam non agnovisse videatur, ab illis dispositionem depromere non potuit. Apud Chrysippum, quemadmodum apud Schleiermacherum, et tota philosophia et quaeque eius pars est tripartita. Ut logicen omittam, de qua Schleiermacheri sententia mihi quidem minus nota est, ethice secundum eum

*) Krit. der Sittenl. p. 61. 138. et alibi.

aut de bonis et malis aut de virtutibus aut de officiis disserit, quaeque autem disputatio totam comprehendit ethicen, alia ab alia parte eam considerans. Hisce tribus partibus tres Stoicae ethices partes eaedem sunt, etsi ex parte cum aliis nominibus insignitae tum minus accurate inter se distinctae. Ultima pars et nomine et re eadem est apud utrumque, doctrinam dico de officiis, quam in Stoicis Schleiermacherus et ipse saepe laudibus effert. Media pars de bonis et malis apud Stoicos inscripta similis est primae Schleiermacheri parti, quae eodem nomine utitur, quamquam subdivisio in utroque omnino alia et Stoici multa ei admiscuerunt e reliqua parte apud ipsos prima, apud Schleiermacherum secunda. Quae enim pars de appetitione apud illos inscribitur, conferenda esse videtur Schleiermacheri de virtute doctrinae, utraque enim de morali hominis vi disputat. Eodem modo physice e Schleiermacheri sententia aut organica aut dynamica aut mechanica, ita cum Chrysippea comparari potest, ut dynamica similis sit eius de mundi origine disputationi, organica mundi descriptioni, et mechanica eorum, quae in mundo fiunt, adumbrationi. Neque tamen negligendum est, similitudinem in disserendi ratione magis, quam in ipsis placitis esse quaerendam. Illa in partibus quoque subdividendis eadem est, uterque enim harum spatium contrariis explet cuique propriis. Ne quid de contrariis, a Schleiermachero

constitutis addam, apud Stoicos in logice regnat *veri* et *falsi*, *orationis* et *rationis* oppositio, ethicae propria sunt *bonum malum* et *utile honestum*, physicen efficit *Deorum* et *hominum*, *causae* et *materiae* contrarietas. In cunctis denique partibus pariter reperiuntur *fieri* et *esse*, *corporale* et *incorporale*, *libertas* et *necessitas* et quaecunque denique in categoriis, divisione et oppositione prolata sunt. Itaque Chrysippeam philosophandi rationem Schleiermacherianae non dissimilem judico, ipsa vero philosophiae indoles propius ad Hegelii sententiam accedere videtur, cuius similitudinis documentum in libertatis et necessitatis copulatione, quam identitatem vocant, conspicuum indicasse sufficiat, quamquam, si quis neget, multa afferri possunt argumenta.

INDICES.

Ut liber meus virorum doctorum usui accommodatior sit, indices varios et locupletes addidi.

Librorum Chrysippeorum indicem, quem saepius testem laudavi, cum laceratus et mancus apud Diogenem exstet, quantum potui, reficere et supplere studui, quamquam eum non sic restituere in animo erat, uti apud illum integer fuerit, sed singulis locis ita transpositis, ut simul systematis speciem praebeant. Inscriptiones librorum desideratas ubicunque sparsim servatas collegi, veterum tamen locos, e quibus mihi innotuerunt, aut a Jonsio (Script. hist. philos.) aut ab Aegidio Menagio (in Notis ad Diog.) aut a Fabricio (Bibl. Graec. III. p. 547. etc.) aut denique a memet ipso supra allegatos hic omisi. Qui libri non ipsi usquam afferuntur, sed quos a Chrysippo esse compositos suspicor, eorum nomina uncinis inclusi. Singulorum cuiusque operis librorum nu-

merum maximum, qui usquam exstat, adscripsi. Minime tamen negligendum est, inscriptiones num singulos libros an tota opera, an denique integra volumina indicent, raro discerni posse. Volumina autem (συντάξεις), ubi Diogenes deficit, raro prodere potui. Quod denique ad locos (τόπους) attinet, index Diogenis libros de quaque philosophiae parte in universum scriptos singulari loco praemisit, cuiusmodi est §. 199. *Ἠθικοῦ τόπου τοῦ περὶ τὴν διόρθωσιν τῶν ἠθικῶν ἐννοιῶν*; cuiusmodi locum universalem ego ubique cum loco de impetu conjunxi.

Index, qui deinceps sequitur, auctorum, eos tantum locos continet, qui aut ad verbum descripti sunt, aut quorum ratio et nexus disertis verbis exponitur; quorum vero sedes tantum in libro indicata est, eos hic praetermittendos esse duxi.

Index tertius, qui est rerum, tum eadem, quae conspectus libro praemissus, hic ad litterarum ordinem relata exhibet, tum singula Stoicorum placita Latino sermone expressa.

Quartus denique index, qui est verborum, et notiones praebet Stoicae disciplinae peculiares hoc libro accuratius et clarius explicatas et exempla exhibet vocabulorum locis allatis singulari quodam sensu usurpatorum.

I. INDEX
librorum Chrysippeorum in systematis ordinem redactus.

Βιβλία λογικά.

I. *Περὶ τυγχανόντων.*

(§. 201.) *Λογικοῦ *) τόπου περὶ τὸν κοινὸν λόγον καὶ τὰς ἐκ τούτου συνισταμένας τέχνας καὶ ἀρετάς.*

Σύνταξις πρώτη.

πρὸς τὰς ἀναγραφήσεις πρὸς Τιμώνακτα, α'.
περὶ τοῦ πῶς ἕκαστα λέγομεν καὶ διανοούμεθα, α'.
περὶ τῶν ἐννοιῶν πρὸς Λαοδάμαντα, β'.
περὶ ὑπολήψεως πρὸς Πυθώνακτα, α', β'.
ἀποδείξεις πρὸς τὸ μὴ δοξάσειν τὸν σοφόν, α'.
περὶ καταλήψεως καὶ ἐπιστήμης καὶ ἀγνοίας, δ'.
περὶ λόγου, β'.
περὶ τῆς χρήσεως τοῦ λόγου πρὸς Λεπτίναν.

Σύνταξις δευτέρα.

περὶ τοῦ ἐγκρίνειν τοὺς ἀρχαίους τὴν διαλεκτικὴν σὺν ταῖς ἀποδείξεσι πρὸς Ζήνωνα, β'.
(§. 202.) *περὶ τῆς διαλεκτικῆς, πρὸς Ἀριστοκρέοντα, δ'.*
περὶ τῶν ἀντιδιαλεγομένων τοῖς διαλεκτικοῖς, γ'.
περὶ τῆς ῥητορικῆς πρὸς Διοσκουρίδην, δ'.

Σύνταξις τρίτη.

(§. 189.) *θέσεις λογικαὶ καὶ τῶν τοῦ φιλοσόφου σκεμμάτων.*
ὅρων διαλεκτικῶν πρὸς Μητρόδωρον, δ'.

---

*) Cf. p. 24. Not.

περὶ τῶν κατὰ τὴν διαλεκτικὴν ὀνομάτων πρὸς Ζήνωνα, ά.

(§. 190.) τέχνη διαλεκτικὴ πρὸς Ἀρισταγόραν, ά.

συνημμένων πιθανῶν πρὸς Διοσκουρίδην, δ'.

II. Περὶ σημαινόντων.

(§. 192.) 1. Λογικοῦ τόπου περὶ τὰς λέξεις καὶ τὸν κατ' αὐτὰς λόγον.

Σύνταξις πρώτη.

περὶ τῶν ἑνικῶν καὶ πληθυντικῶν ἐκφορῶν, ϛ'.

περὶ λέξεων πρὸς Σωσιγένην καὶ Ἀλέξανδρον, ε'.

περὶ τῆς κατὰ τὰς λέξεις ἀνωμαλίας πρὸς Δίωνα, δ'.

περὶ τῶν πρὸς τὰς φωνὰς σωρειτῶν λόγων, γ'.

περὶ σολοικισμῶν, ά.

περὶ σολοικιζόντων λόγων πρὸς Διονύσιον, ά.

λόγοι παρὰ τὰς συνηθείας, ά.

λέξις πρὸς Διονύσιον, ά.

Σύνταξις δευτέρα.

περὶ τῶν στοιχείων τοῦ λόγου καὶ τῶν λεγομένων, ε'.

(§. 193.) περὶ τῆς συντάξεως τῶν λεγομένων, δ'.

περὶ τῆς συντάξεως καὶ στοιχείων τῶν λεγομένων πρὸς Φίλιππον, γ'.

περὶ τῶν στοιχείων τοῦ λόγου πρὸς Νικίαν, ά.

πρὸς τοὺς μὴ διαιρουμένους, β'.

περὶ τοῦ πρὸς ἕτερα λεγομένου, ά.

Σύνταξις τρίτη·

περὶ ἀμφιβολιῶν πρὸς Ἀπελλᾶν, δ'.

περὶ τῶν τροπικῶν ἀμφιβολιῶν, ά.

περὶ συνημμένης τροπικῆς ἀμφιβολίας, β'.

πρὸς τὸ περὶ ἀμφιβολιῶν Πανθοίδου, β'.

περὶ τῆς εἰς τὰς ἀμφιβολίας εἰσαγωγῆς, ε'.

ἐπιτομὴ τῶν πρὸς Ἐπικράτην ἀμφιβολιῶν, ά.

συνημμένα πρὸς τὴν εἰσαγωγὴν τῶν εἰς τὰς ἀμφιβολίας, β'.

2. Λογικοῦ τόπου [περὶ τὰ ἐννοήματα].

Σύνταξις πρώτη.

— — —

[περὶ συνωνύμων καὶ ὁμωνύμων]

περὶ τοῦ κυρίως κεχρῆσθαι Ζήνωνα τοῖς ὀνόμασι.

(§. 199.) Σύνταξις δευτέρα.

περὶ τῶν ὁμοίων πρὸς Ἀριστοκλέα, γʹ.

περὶ τῶν ὅρων πρὸς Μητρόδωρον, ζʹ.

Σύνταξις τρίτη.

περὶ τῶν οὐκ ὀρθῶς τοῖς ὅροις ἀντιλεγομένων, πρὸς Λαοδάμαντα, ζʹ.

(§. 200.) πιθανὰ εἰς τοὺς ὅρους πρὸς Διοσκουρίδην, βʹ.

περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν πρὸς Γοργιππίδην, βʹ.

περὶ τῶν διαιρέσεων, αʹ.

περὶ τῶν ἐναντίων πρὸς Διονύσιον, βʹ.

πιθανὰ πρὸς τὰς διαιρέσεις καὶ τὰ γένη καὶ τὰ εἴδη περὶ τῶν ἐναντίων, αʹ.

Σύνταξις τετάρτη.

περὶ τῶν ἐτυμολογικῶν πρὸς Διοκλέα, ζʹ.

ἐτυμολογικῶν πρὸς Διοκλέα, δʹ.

Σύνταξις πέμπτη.

περὶ παροιμιῶν πρὸς Ζηνόδοτον, βʹ.

περὶ ποιημάτων πρὸς Φιλομαθῆ, αʹ.

περὶ τοῦ πῶς δεῖ τῶν ποιημάτων ἀκούειν, βʹ.

πρὸς τοὺς Κριτικοὺς πρὸς Διόδωρον, αʹ.

III. Περὶ σημαινομένων.

(§. 190.) 3. Λογικοῦ τόπου τοῦ περὶ τὰ πράγματα.

Σύνταξις πρώτη.

περὶ ἀξιωμάτων, αʹ.

περὶ τῶν οὐχ ἁπλῶν ἀξιωμάτων, αʹ.

περὶ τοῦ συμπεπλεγμένου πρὸς Ἀθηνάδην, αʹ, βʹ.

περὶ ἀποφατικῶν πρὸς Ἀρισταγόραν, γʹ.

περὶ καταγορευτικῶν πρὸς Ἀθηνόδωρον, αʹ.

περὶ τῶν κατὰ στέρησιν λεγομένων, β'.
πρὸς Θέαρον, ά.
περὶ τῶν ἀορίστων *) ἀξιωμάτων πρὸς Δίωνα, ά, β', γ'.
περὶ τῆς διαφορᾶς τῶν ἀορίστων, ά, β', γ', δ'.
περὶ τῶν κατὰ χρόνους λεγομένων, ά, β'.
περὶ συντελικῶν ἀξιωμάτων, β'.

Σύνταξις δευτέρα.

περὶ ἀληθοῦς διεζευγμένου πρὸς Γοργιππίδην, ά.
περὶ ἀληθοῦς συνημμένου πρὸς Γοργιππίδην, ά, β', γ', δ'.
(§. 191.) διαίρεσις πρὸς Γοργιππίδην, ά.
πρὸς τὸ περὶ ἀκολούθων, ά.
περὶ τοῦ διὰ τριῶν, πάλιν πρὸς Γοργιππίδην, ά.
περὶ δυνατῶν πρὸς Κλεῖτον, δ'.
πρὸς τὸ περὶ σημασιῶν Φίλωνος, ά.
περὶ τοῦ τίνα ἐστὶ τὰ ψευδῆ, ά.

Σύνταξις τρίτη.

περὶ προσταγμάτων, β'.
περὶ ἐρωτήσεων, β'.
περὶ πεύσεως, δ'.
ἐπιτομὴ περὶ ἐρωτήσεως καὶ πεύσεως, ά.
ἐπιτομὴ περὶ ἀποκρίσεων, ά.
ζητήσεως β'.
περὶ ἀποκρίσεως, δ'.

Σύνταξις τετάρτη.

περὶ τῶν κατηγορημάτων πρὸς Μητρόδωρον, ί.
περὶ ὀρθῶν καὶ ὑπτίων πρὸς Φίλαρχον, ά.
περὶ τῶν συμβαμάτων **) πρὸς Ἀπολλωνίδην, ά.
πρὸς Πάσυλον περὶ κατηγορημάτων, δ'.

(§. 192.) Σύνταξις πέμπτη.

---

*) Ita scripsi pro ἀρίστων.
**) Ita scripsi pro συναμμάτων.

περὶ τῶν πέντε πτώσεων, ά.

περὶ τῶν κατὰ τὸ ὑποκείμενον ὡρισμένων ἐκφορῶν, ά.

περὶ τῶν προσηγορικῶν, β'.

περὶ παρεμφάσεως πρὸς Στησαγόραν β'.

(§. 193.) 4. *Λογικοῦ τόπου πρὸς τοὺς λόγους καὶ τοὺς τρόπους.*

Σύνταξις πρώτη.

περὶ τῶν λόγων, γ'.

τέχνη λόγων καὶ τρόπων πρὸς Διοσκουρίδην, έ.

(§. 194.) *περὶ τρόπων συστάσεως πρὸς Στησαγόραν, β'.*

σύγκρισις τῶν τροπικῶν ἀξιωμάτων, ά.

περὶ ἀντιστρεφόντων λόγων καὶ συνημμένων, ά.

πρὸς Ἀγάθωνα, ή.

περὶ τῶν ἑξῆς προβλημάτων, ά.

περὶ τοῦ τὰ συλλογιστικά τινος μετάλλου τε καὶ μετάλλων, ά.

περὶ τῶν ἐπιφορῶν πρὸς Ἀρισταγόραν, ά.

περὶ τοῦ τάττεσθαι τὸν αὐτὸν λόγον ἐν πλείοσι τρόποις, ά.

πρὸς τὰ ἀντειρημένα τῷ τὸν αὐτὸν λόγον ἐν συλλογιστικῷ καὶ ἀσυλλογίστῳ τετάχθαι τρόπῳ, β'.

πρὸς τὰ ἀντειρημένα ἐν ταῖς τῶν συλλογισμῶν ἀναλύσεσι, γ'.

πρὸς τὸ περὶ τρόπων Φίλωνος πρὸς Τιμόστρατον, ά.

λογικὰ συνημμένα πρὸς Τιμοκράτην καὶ Φιλομαθῆ εἰς τὰ περὶ λόγων καὶ περὶ τρόπων, ά.

(§. 195.) *Σύνταξις δευτέρα.*

περὶ τῶν περαινόντων λόγων πρὸς Ζήνωνα, ά.

περὶ τῆς ἀναλύσεως τῶν συλλογισμῶν, ά.

περὶ τῶν πρώτων καὶ ἀναποδείκτων συλλογισμῶν, πρὸς Ζήνωνα, ά.

περὶ τῶν παρελκόντων λόγων πρὸς Πάσυλον, β'.

περὶ τῶν εἰς τοὺς σολοικισμοὺς θεωρημάτων, ά.

περὶ συλλογισμῶν εἰςαγωγικῶν πρὸς Ζήνωνα, ά.
τῶν πρὸς εἰςαγωγὴν τρόπων πρὸς Ζήνωνα, γ'.
περὶ τῶν κατὰ ψευδῆ σχήματα συλλογισμῶν, έ.
λόγοι συλλογιστικοὶ κατὰ ἀνάλυσιν ἐν τοῖς ἀναποδεικτοῖς, ά.
τροπικὰ ζητήματα πρὸς Ζήνωνα καὶ Φιλομαθῆ, ά. (τοῦτο δοκεῖ ψευδεπίγραφον).

Σύνταξις τρίτη.

περὶ τῶν μεταπιπτόντων λόγων πρὸς Ἀθηνάδην, ά (ψευδεπίγραφον).
(§. 196.) λόγοι μεταπίπτοντες πρὸς τὴν μεσότητα, γ' (ψευδεπίγραφα).
πρὸς τοὺς Ἀμεινίου διαζευκτικούς, ά.

Σύνταξις τετάρτη.

περὶ ὑποθέσεων πρὸς Μελέαγρον, γ'.
λόγοι ὑποθετικοὶ εἰς τοὺς νόμους πρὸς Μελέαγρον πάλιν, ά.
λόγοι ὑποθετικοὶ πρὸς εἰςαγωγήν, β'.
λόγοι ὑποθετικοὶ θεωρημάτων, β'.
λύσις τῶν Ἡδύλλου ὑποθετικῶν, β'.
λύσις τῶν Ἀλεξάνδρου ὑποθετικῶν, γ' (ψευδεπίγραφα).
περὶ ἐκθέσεων πρὸς Λαοδάμαντα, ά.

Σύνταξις πέμπτη.

περὶ τῆς εἰς τὸν ψευδόμενον εἰςαγωγῆς πρὸς Ἀριστοκρέοντα, ά.
λόγοι ψευδόμενοι πρὸς εἰςαγωγήν, ά.
περὶ τοῦ ψευδομένου πρὸς Ἀριστοκρέοντα, ς'.

Σύνταξις ἕκτη.

πρὸς τοὺς νομίζοντας καὶ ψευδῆ καὶ ἀληθῆ εἶναι, ά.
(§. 197.) πρὸς τοὺς διὰ τομῆς διαλύοντας τὸν ψευδόμενον λόγον πρὸς Ἀριστοκρέοντα, β'.
ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ δεῖν τέμνειν τὰ ἀόριστα, ά.

πρὸς τὰ ἀντειρημένα τοῖς κατὰ τῆς τομῆς τῶν ἀορίστων πρὸς Πάσυλον, γ΄.

λύσις κατὰ τοὺς ἀρχαίους πρὸς Διοσκουρίδην, ά.

περὶ τῆς τοῦ ψευδομένου λύσεως πρὸς Ἀριστοκρέοντα, γ΄.

λύσις τῶν Ἡδύλλου ὑποθετικῶν πρὸς Ἀριστοκρέοντα καὶ Ἀπελλᾶν, ά.

Σύνταξις ἑβδόμη.

πρὸς τοὺς φάσκοντας τὰ λήμματα ἔχειν ψευδῆ τὸν ψευδόμενον λόγον, ά.

περὶ ἀποφάσκοντος πρὸς τὸν Ἀριστοκρέοντα, β΄.

λόγοι ἀποφάσκοντες πρὸς Γυμνασίαν, ά.

περὶ τοῦ παρὰ μικρὸν λόγου πρὸς Στησαγόραν, β΄.

περὶ τῶν εἰς τὰς ὑπολήψεις λόγων καὶ ἡσυχαζόντων πρὸς Ὀνήτορα, β΄.

(§. 198.) περὶ τοῦ ἐγκεκαλυμμένου πρὸς Ἀριστόβουλον, β΄.

περὶ τοῦ διαλεληθότος πρὸς Ἀθηνάδην, ά.

Σύνταξις ὀγδόη.

περὶ τοῦ οὔτιδος πρὸς Μενεκράτην, ή.

περὶ τῶν ἐξ ἀορίστου καὶ ὡρισμένου λόγων πρὸς Πάσυλον, β΄.

περὶ οὔτιδος λόγου πρὸς Ἐπικράτην, ά.

Σύνταξις ἐννάτη.

περὶ τῶν σοφισμάτων πρὸς Ἡρακλείδην καὶ Πόλλιν, β΄.

περὶ τῶν ἀπόρων διαλεκτικῶν λόγων πρὸς Διοσκουρίδην, έ.

πρὸς τὸ Ἀρκεσιλάου μεθόδιον πρὸς Σφαῖρον, ά.

Σύνταξις δεκάτη.

κατὰ τῆς συνηθείας πρὸς Μητρόδωρον, ς΄.

περὶ τῆς συνηθείας πρὸς Γοργιππίδην, ς΄.

Λογικοῦ τόπου τὰ τῶν προειρημένων τεττάρων διαφορῶν ἐκτὸς ὄντα κ. περιέχοντα σποράδην κ. οὐ σωματικὰς ζητήσεις λογικάς.

περὶ τῶν καταλεγομένων ζητημάτων λθ'.
Ὁμοῦ τὰ πάντα τοῦ λογικοῦ τιά.

Βιβλία φυσικά.

I. Περὶ τῶν στοιχείων.

Φυσικοῦ τόπου περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ στοιχεῖα καὶ τὰ σώματα.

ὅροι φυσικοί, β'.
περὶ τῶν ἀρχαίων φυσιολόγων.
φυσικαὶ θέσεις.
τὰ φυσικά, β'.
φυσικὰ ζητήματα, β'.

II. Περὶ τοῦ κόσμου.

1. Φυσικοῦ τόπου περὶ τὴν οὐσίαν τοῦ κόσμου.

περὶ οὐσίας, γ'.
περὶ ἕξεων.
περὶ κόσμου, β'.
περὶ τοῦ Διός.

2. Φυσικοῦ τόπου περὶ τοὺς θεούς.

[περὶ τοῦ εἶναι τοὺς θεούς].
περὶ θεῶν, ιά.
φυσικαὶ τέχναι, β'.
περὶ φύσεως, έ.

III. Περὶ τῶν αἰτιῶν.

3. Φυσικοῦ τόπου περὶ τὴν ἀστρολογίην ἢ περὶ τὰς μεταβολὰς τὰς ἐν τῷ κόσμῳ γινομένας.

περὶ μίξεως καὶ κράσεως.
περὶ αὐξανομένου.
περὶ μερῶν, έ.
[περὶ μετεωρολογικῆς].
περὶ κενοῦ.
περὶ κινήσεως, β'.
περὶ εἱμαρμένης, β'.

4. *Φυσικοῦ τόπου περὶ τὴν αἰτίαν.*
περὶ ψυχῆς.
περὶ ψυχῆς δεύτερον, ιβʹ.
φυσικοὶ λόγοι, ιβʹ.
περὶ ὀνειρῶν, βʹ.
περὶ χρησμῶν, άʹ.
περὶ μαντικῆς, άʹ.
[*περὶ τοῦ ὅλου*].
περὶ προνοίας, δʹ.

Βιβλία ἠθικά.

I. *Περὶ τῆς ὁρμῆς.*

(§. 199.) *Ἠθικοῦ τόπου τοῦ περὶ τὴν διόρθωσιν τῶν ἠθικῶν ἐννοιῶν.*

Σύνταξις πρώτη.
ὑπογραφὴ τοῦ λόγου τοῦ πρὸς Θεόσπορον, άʹ.
θέσεις ἠθικαί, άʹ.
ὅρων τῶν τοῦ ἀστείου πρὸς Μητρόδωρον, βʹ.
ὅρων τῶν τοῦ φαύλου πρὸς Μητρόδωρον, βʹ.
ὅρων τῶν ἀναμέσων πρὸς Μητρόδωρον, βʹ.
ὅρων τῶν πρὸς Μητρόδωρον τῶν κατὰ γένος, ζʹ.
ὅρων τῶν κατὰ τὰς ἄλλας τέχνας πρὸς Μητρόδωρον, άʹ, βʹ.

Σύνταξις δευτέρα.
— — — —
ἠθικὰ ζητήματα, δʹ.
— — — —

Σύνταξις [*τρίτη*]
περὶ ὁρμῆς.

[*Σύνταξις τετάρτη*]
περὶ παθῶν, δʹ.

II. *Περὶ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ.*

(§. 202.) 1. *Ἠθικοῦ τύπου περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν.*

Σύνταξις πρώτη.

περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς πρὸς Ἀριστοκρέοντα, ί.

ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν τέλος, δ'.

ἀπόδειξις πρὸς τὸ μὴ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθόν, δ'.

περὶ τῶν λεγομένων ὑπὲρ τῆς [ἡδονῆς].

[Σύνταξις δευτέρα.]

— — — —

περὶ τοῦ ἀγαθοῦ.

[Σύνταξις τετάρτη.]

— — — —

περὶ τοῦ καλοῦ.

περὶ τοῦ δικαίου, γ'.

2. *Ἠθικοῦ τόπου περὶ τῆς ἀρετῆς.*

ἡ εἰσαγωγὴ ἡ εἰς τὴν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν πραγματείαν.

(§. 202.) *περὶ ἕξεως πρὸς Κλέωνα, γ'.*

περὶ τέχνης καὶ ἀτεχνίας πρὸς Ἀριστοκρέοντα, δ'.

περὶ τῆς διαφορᾶς τῶν ἀρετῶν πρὸς Διόδωρον, δ'.

περὶ τοῦ ποιὰς εἶναι τὰς ἀρετάς, ά.

περὶ ἀρετῶν πρὸς Πόλλιν, β'.

περὶ δικαιοσύνης, δ'.

πρὸς Πλάτωνα περὶ δικαιοσύνης.

αἱ περὶ δικαιοσύνης ἀποδείξεις.

III. *Περὶ τῶν πράξεων.*

3. *Ἠθικοῦ τόπου τοῦ περὶ τοῦ τέλους.*

περὶ τελῶν, β'.

περὶ νόμου, ά.

[περὶ εὐδαιμονίας]

περὶ τέλους, β'.

[περὶ ὁμολογίας].

περὶ ἀνομολογίας, β'.
τὰ κατορθώματα.
[περὶ ἀδιαφόρων].

4. Ἠθικοῦ τόπου περὶ τῶν καθηκόντων.
περὶ τῶν μὴ δι' αὑτὰ αἱρετῶν.
περὶ τῶν δι' αὑτὰ αἱρετῶν.
περὶ καθήκοντος, ή.
περὶ ὁμονοίας, β'.
[περὶ εὐεργεσιῶν].
περὶ ἔρωτος.
ἐρωτικαὶ ἐπιστολαί.
περὶ γάμου.
περὶ παίδων ἀγωγῆς.
περὶ πολιτείας.
νόμοι.
περὶ τοῦ δικάζειν.
περὶ φιλίας, β'.
περὶ τοῦ προτρέπεσθαι, β'.
τὰ προτρεπτικά.

Σύνταξις
περὶ βίων, δ'.
περὶ βίου καὶ πορισμοῦ, β'.

II. INDEX AUCTORUM.

	Pag.
Alexander Aphrod. ad Arist. Top. ed. Ald. 1526. p. 155.	149
— ap. Simpl. ad. Arist. Phys.	244
Antoninus (Marc. Aur.) ed. J. M. Schulz. IV. 14.	76
— VI. 14.	56
— VIII. 22.	219
— IX. 1.	75
— IX. 9.	58
— XII. 30.	88
Archytas Pyth. δέκα λόγοι ed. Camer. init.	15
— ap. Simpl. f. 97.	212
Aristoteles Cat. ed. Lewald. c. 2. 1.	37
— c. 2. 6.	11
— c. 2. 7.	43
— c. 3. 5.	11
— c. 8. 2.	183
— c. 8. 4.	209
— c. 8. 8.	204
— Top. ed. Pac. I. c. 9.	11
— Metaph. ed. Brandis. p. 16.	4
— p. 20.	8
— p. 21.	10
Boëthius ed. Basil. in Top. Cic. p. 114.	16
Cicero ed. Bip. Nat. Deor. libri II. ratio.	247 etc.
— II. 1.	247
— II. 9.	99
— II. 12.	98
— de fin. III. libri ratio.	266 et 283
— III. 7. 26.	278

Pag.
Cicero ed. Bip. de fin. III. 8. 29. 279
— III. 14. 45. 281
— III. 14. 46. 212
— III. 15. 50. 284
— III. 15. 55. 285
— de off. librorum ratio. 286
— I. 40. 282
— II. 3. 11. 176
— II. 5. 260
— Top. c. 2. 6. 220
— c. 3. 11. . . . . 143 N.
Diocles Magnes ap. Diog. 32
Diogenes Laërt. ed. Meibom. l. VII. §. 41 — 83 ratio. 24
225. etc.
— 49. . . . . 24. 82. 83.
— 51. 162
— 55. 223
— 58. 82
— 61. 179
— 62. . . . . 25. 178
— 63. 172
— 84 — 131. ratio. . . . . 259. etc.
— 84. 259
— 87. 283
— 90. 269
— 100. 275
— 132 — 160. ratio. . . . . 239. etc.
— 134. 47
— 135. 159
— 137 — 138. 241
— 138. 247
— 148. 97
— 189. 25

Pag.
Dionysius Halic. ed Schaefer. c. 1. 37
Epictetus Ench. c. 76. . . . . 260 N.
Galenus ed. Basil. de Plat. et Hippocr. decret. I. p. 264. 97
— I. p. 291. 274
— I. p. 309. 269
Geminus apud Proclum ad. Eucl. ed. Bas. p. 103. . . 81
— apud Simpl. ad. Arist. Phys. ed. Ald. p. 64. 251. 253
Heraclides Pont. ap. Simpl. 253
Johannes Damascenus ad calcem Stob. Serm. ed. Gaisford. 83
Johannes Philoponus ad. Arist. Anal. pr. ed. Ald. c. 60. 30
Philo Judaeus de incorr. mundi ed. Mang. II. p. 501. 90
Plato Phileb. ed. Steph. p. 25. 26 et 29. 6
Plotinus Ennead. VI. L. I. ed. Mars. Ficinus. c. 25. 39. 47. 61. 64. 147. 156.
— c. 27. 47
— c. 28. 55
— c. 29. . . . . 64. 74
— c. 30. . . . . 101. 108
Plutarchus ed. Wyttenb. Vol. V. 1. de Stoic. repugn. c. 9. 263
— c. 34. . . . . 132. 259
— c. 43. . . . . 73. 161
— de comm. not. c. 27. 268
— c. 30. . . . . 152. 158
— c. 42. . . . . 170 N.
— c. 45. 261
— Vol. IV. 1. Plac. Philos. I. 10. . . . . 80 N.
— I. 28. 254
— II. 1. 157
— IV. 11. 77
— IV. 20. . . . . 160. 223
— IV. 21. 223
Posidonius apud Simpl. ad Arist. Phys. . . 244. 251. 253

Pag.

Posidonius ap. Quinctilian. 218
— Plut. Plac. Phil. 254
— Stobaeum. 256
— Diog. 262
— Galen. 274
— Senec. 281
Proclus ad Euclid. Elem.. IV. ed. Bas. p. 103. . . . 81
Quinct. Inst. III. 6. 218
Scholiastes ad Dionys. Thrac. Bekk. Anecd. Vol. II. p. 665. 217
Seneca ed. Lips. 1770. Epist. 22. 282
— 58. 146
— 65. 48
— 88. 281
— 89. . . . . 25 N. 245. 259
— 94. 95. 288
— 95. 289
— 102. . . . . 57. 266
— 106. 266
— 117. 276
— Quaest. Nat. ratio. 251
— II. 2. 57
Sextus Empiricus ed. Fabr. Hypoth. II. 11. 104. 106. 117. 237
— III. 5. 46. 163
— III. 13. 104. 140
— adv. Math. VII. 244. 180
— VIII. 11. 30
— VIII. 70. 172
— VIII. 80. 172
— VIII. 85. 175
— VIII. 89. 205
— VIII. 244. 140
— VIII. 404. 162
— VIII. 554. 140

		Pag.
Sextus adv. Math. IX. 78. 31.		55
—	IX. 208.	140
—	IX. 281.	162
—	IX. 393.	29. 158
—	X. 10. 12.	168 N.
—	X. 121.	173
—	X. 218.	163
—	X. 234.	148
—	XI. 25.	266
—	XI. 221.	159
—	XI, 222.	136 N.
Simplicius ad Arist. Cat. ed. Basil. f. 3. *A.*		37
—	12. *Δ.*	44
—	16. *Δ.*	41. 123
—	26. *E.*	82
—	42. *Γ.*	71
—	42. *E.*	126
—	43. *A.*	141
—	44. *Δ.*	46
—	44. *E.*	102
—	46. *Γ.*	142
—	54. *Γ.*	71. 82. 132. 139
—	54. *Z.*	20
—	55. *A.*	107
—	55. *A. B.*	65
—	55. *E.*	68. 159
—	56. *Δ.*	87. 88
—	57. *E.*	85
—	58. *A. B.*	73
—	61. *B.*	92. 104. 228.
—	62. *B.*	96
—	67. *E.*	95
—	68. *E.*	72

Pag.
Simplicius ad Arist. Cat. ed. Basil. f. 69. *Γ.* 95
— 70. *E.* 89
— 72. *Δ.* . . . . 91. 95.
— 73. *B.* 94
— 78. *B.* 110
— 79. *A.* 135
— 79. *B.* 133
— 94. *E.* 116
— 97. *Δ.* 212
— 98. *Γ.* 182
— 98. *E.* 187
— 98. *Z.* 180
— 100. *B.* 192
— 100. *Γ.* 193
— 100. *Δ.* 200
— 100. *E.* 203
— 101. *E.* 197
— 102. *A. B.* 199
— 102. *Δ.* 205
— 102. *Z.* 206
— 103. *B.* 206
— 110. *B.* . . . . 118 N.
— ad Phys. Arist. ed. Ald. p. 64. . 244. 251. 253
— ad Epict. c. 37. 135
— c. 76. 260
Stobaeus Eclog. ed. Heeren I. p. 260. 121
— p. 258. 252
— p. 260. . . . . 168. 174
— p. 320. 48
— p. 324. 48
— p. 332. 78
— p. 338. 48
— p. 374. . . . . 49. 253

Pag.

Stobaeus Eclog. ed. Heeren I. p. 390. . . 122. 164. 166
— p. 436. 64
— II. Ethices ratio. . . . . 262 N.
— p. 90. 178
— p. 92. 271
— p. 98. 95
— p. 108. 270
— p. 110. 94
— p. 120. . . . . 271. 280
— p. 126. . . . . 278. 279
— p. 128. 130
— p. 144. . . . . 284. 286
— p. 158. . . . . 284. 286
— p. 164. 259
— p. 192. 276
Syrianus ad Arist. Met. e vers. Bagolini p. 21. . . . 90
— p. 56. 50
— p. 59. 80
— p. 83. 76
Varro de ling. Lat. VII. ed. Bip. p. 114. . . . . 225 N.
— VIII. init. 226

III. INDEX RERUM.

Pag.

Achaici Stoïci de cat. sent. 21
Actiones morales 259. 275
Activum appellat. 232
Adhortatio 289
Adverbium 190. 227
Aetiologia 289
Affectio simplex 104
Affectio relata 135
Alcmaeonis de cat. sent. 5
Aliquid 34. 147
Aliquo modo se habere vid. modalitas.
Animal 56. 97. 176
Animus 96. 97. 176
Animus humanus 97. 176. 256
Antipatri de cat sent. 21
Appellativum nom. 227
Appellatum 171. 231
Archytae de cat. sent. 15. 16
Argumentatio 236
Argumentorum sedes 220
Aristotelis de cat. sent. 11. 42
— de contr. sent. 186
— logice 3. 10. 220
— libri περὶ ἀντικειμ. 183
— postpraedicam. 11
Artes 95. 270
— mediae 73. 92. 96

	Pag.
Artes liberales	271. 279
— naturales	250
Articulus	226
Astronomia sphaerica	253
— theorica	251
Athenodori Stoici de cat. sent.	22
Boëthius	16
Bonum	259. 266
Casus	82
Categoriarum vis	1
— historia	2
Causa	255
Chronologia	252
Civitas	288
Commodum	288
Commune appellat.	232
Communitas	85
Composita	58
Conclusio	236
Conjunctio	226
Contraria	181
— (simpliciter)	185
Contrar. simpl. genera	187
Contraria (privative)	192
Contrariorum et oppositorum discrimen	206
Contraria (negative)	204
Contraria (relative)	209
Convenientia	274
Cornuti de cat. sent.	22
Corpus	160
Cynicorum de cat. sent.	20
Definiendi ratio	217
Definitio	33. 228

Pag.
Dehortatio 289
Detrimentum 288
Deus 56. 98. 176
Dictio 224
Dii 248
Disciplinae 94. 271
Dispositio 92
Ex distantibus 55
Divinatio 257
Divisio 145. 177
Divisionis et categoriarum discrimen 145
Dogmatica ethices pars 288
Efficere 108. 110
Eleatici dialectices inventores 2
Ens 151
Ens et essentia 46
Enuntiatum vid. appellatum
Emolumentum 288
Ethice 289
Ethices divisio . . . . 258 etc.
Ethologia 289
Etymologia 24
Fatum 254
Felicitas 273
Finis bonorum 274
Geographia math. 252
Genus 33. 38. 217
Habere 108. 116
Habitus et dispositio 92
Habitus et habitum 70
Habitus et privatio 192
Hegelii disciplina Stoicae collata 315
Honestum 267

Pag.
Homo 176
Idea 56. 98. 176
Impetus 259
Inanimum 176
Incommodum 288
Inconvenientia 275
Incorporeum 162. 165
Indifferentia 284
Infelicitas 275
Inveniendi ratio 220
Irrationale 56. 97. 176
Jupiter 248
Justitia 273
Locus 60. 166
Logice . . . . 294 seqq.
Logices divisio . . . . 25. 221 etc.
Meteorologia 251
Mixtio 250
Modalitas 101. 125
Modalitatis genera 119
Monades 76
Motio relata 132
Motio simplex 107. 110
Mundus 241. 247
Natura 97. 250
Neutrum appellat. 232
Nomen subst. 226
Nomen 229
Non-ens 152
Notio 28. 37. 78. 228
Notitia 28
Occasio 282
Officia media 286

Pag.
Officia perfecta 275
Opportunitas 281
Oppositio 183. 205
Oppositi et contrarii discrimen 184. 209
Oratio 224
Ordo 282
Paraenetica ethices pars 288
Passivum appellat. 232
Pati 108. 114
Peripatetici logices amplificatores 3
Peripateticorum de categ. dissensio 14
Perturbationes animi 262
Philolai de categ. seut. 6
Physice . . . . 301 seqq.
Physices divisio . . . . 239 etc.
Platonis de cat. sent. 7. 20. 41
Planta 56. 97. 176
Platonis in dialecticen merita 3. 7
Poëmata 24
Potentiae rerum 72
Privatio 192
Proprietas 85
Proverbia 24
Providentia 257
Pythagorei categoriarum inventores 4
— logices auctores 2
Quale et qualitas 64
Quale aliquo modo se habens 108. 123
Qualitas composita 88
Qualitatum genera 91
Qualitas in solis unitis 68
Qualitas incorporalis 87
Quando 108. 121

Pag.
Quantum aliquo modo se habens 108. 123
Rationale 56. 97. 176
Rationes seminales 74
Recte facta 275
Relatio 126. 144
— simplex . . . . 126 et 131
— aliquo modo se hab. 126. 131
Relationis genera 135. 142
Respublica 288
Rhetorice . . . . 25 N. 218
Sapiens 289
Schleiermacheri disciplina Stoicae collata 316
Signum 237
Situm esse 108. 115
Socratis in dialecticen merita 3
Sophistae dialectices corruptores 1
Species 228
Spiritus 97
Status causae 218
Stoicorum in logicen merita 5
Stultus 289
Substratum 43
— primum et secundum 44. 53
Substratorum genera 55
Substratum incorporale 60
Syllogismus 236
Tempus 60. 168. 252
Totum 154
Ubi 108. 122
Unita 55
Universum 153
Utile 267
Vacuum 171
Verbum 226
Virtutes 94. 268. 271
Vox 223
Zenonis in categ. merita 18

IV. INDEX VOCABULORUM.

	Pag.
Ἀγαθόν	266
— τέλειον	265 N.
Ἀδιάφορον	284
Ἀδιαφόρως	143. 212
Ἀδυναμία	73
Ἀέγεια	193
Ἀθεώρητας (ἀρετή)	270
Αἴσθησις	27
Κατ' αἴσθησιν	218
Αἰσθητήριον	28
Αἰτία	9. 136. 140. 255
Αἰτιολογικὸς τόπος	237
Αἴτιον	255
Ἀληθές	205
Ἁμάρτημα	276
Ἀμέσως	188
Ἀνάπαλιν	142. 199
Ἀνομοιότης	136
Ἀνομολογία	274
Ἀντιδιαίρεσις	179
Ἀντικείμενον	182
Ἀντικεῖσθαι	183
Ἀντιστρέφοντα	212
Ἀνωμαλία	226
Ἀξία	264
Ἀξίωμα	231
Ἀπέχειν	185

	Pag.
Ἄπειρον	69. 164
Ἀποβολή	199
Ἀπόδειξις	140. 236
Ἀπόστασις	185
Ἀπόφασις	205. 206
Ἀρετή	95. 269
Ἄρθρον	226
Ἄρτιον	6
Ἀριθμος	6
Ἀστρολογία	244. 251
Ἀσώματον	87. 162
Ἀτεχνία	73. 237
Αὐτόθεν	163
Αὐξανόμενον	254
Βίος	291
Γενικώτατον	55
Γένος	32. 218
Διάθεσις	92
Διαλεκτική	24
Διάνοια	28
Διάπτωμα	73
Διαφέροντα	185
Διαφορά	65. 89. 120
Κατὰ διαφοράν	65. 126
Διαφόρως	143. 212
Διαίρεσις	179
Διάστασις	185
Ἐκ διεστώτων	55. 68
Δικαιοσύνη	273
Δύναμις	72. 75
Κατ᾽ ἑαυτό	126. 164
Εἶδος	64. 76. 228
Εἱμαρμένη	254. 257

Pag.

Εἶναι 46. 102
Ἑκτόν 68. 71. 101
Ἐκφέρειν 31
Ἐκφορικόν 30
Ἕν 6
Ἐναντίον 142. 182. 185
Ἐνέργεια 111. 114. 188
Ἐνέργημα 107. 276
Ἐννόημα 28. 37. 78. 228
Ἔννοια 28
Κατ᾽ ἔννοιαν 218
Ἕξις 56. 68. 71. 92. 97. 104. 188. 218
Ἐπιστήμη 94
Ἐπιτήδευμα 279. 280
Εὐδαιμονία 274
Εὐκαιρία 281
Εὐταξία 282
Ἔχειν 42. 108. 116. 233
Ἡγεμονικόν 28
Ἠθικὸν μέρος 259
Ἡνωμένα 55. 56. 68
Ἡσυχία 278
Θεός 241. 248
Θεωρητική (ἀρετή) 270
Ζεύς 248. 257
Ἰδέα 76. 83
Ἰδιότης 85. 114
Καθῆκον (μέσον) 286. 290
Καθῆκον (τέλειον) 276
Κακοδαιμονία 275
Κατάστασις 104. 107. 119
Κατηγόρημα 133. 188. 231
Κατηγορούμενον 188

Pag.
Κατάληψις 28
Κατόρθωμα 275. 281
Κεῖσθαι 42. 108. 116. 233
Κενόν 251. 166. 171. 255
Κινεῖν 110
Κίνησις 107. 110. 173
Κίνησις πρός τι 132
Κοινά 83
Κόσμος 239. 241
Κρινόμενον 212
Κρίνων 212
Λέγειν 231
Λεκτόν 30. 38. 171
Λέξις 224. 234
Λογική 24
Λόγος 47. 48. 224
Λόγος σπερματικός 76
Μερισμός 179
Μεσότης 188. 227
Μέσως 188
Μεταβολή 197
Μετέωρα 254
Μὴ ὄν 147. 152
Μίξις 250
Μονάς 76. 79
Μονή 278
Νόημα 77
Ὅλον 154. 177
Ὁμοιότης 136
Ὁμολογία 274
Ὄν 49. 58. 146. 151
Ὄνομα 226. 229
Ὁρισμός 229

Pag.
Ὀρθόν 232
Ὁρμή 111. 259
Ὅρος 32. 191. 217
Οὐρανός 247
Οὐσία 9. 12. 48. 54. 64. 88. 217
Πάθος 261
Πᾶν 152. 158
Πάσχειν 43. 108. 110. 113
Πεπερασμένον 6. 164
Πέρας 9. 166
Περιττόν 6
Ἐν πλάτει 93
Ποιεῖν 43. 108. 110
Ποίημα 107
Ποιὸν 39. 41. 64. 108. 123
Ποιὸν ἰδιως 64. 68. 90
Ποιὸν κοινῶς 90
Ποιὸν γενικόν 83
Ποιότης 66. 161
Ποσόν 108. 128
Ποτέ 42. 108. 121. 168
Πού 42. 108
Πρᾶγμα 25. 31. 231. 234
Πρᾶξις 264. 275
Πράττειν 111
Πραττόμενον 170
Πραχθέν 170
Πραχθησόμενον 170
Πρόληψις 28
Πρόνοια 257
Προσηγορία 82. 227
Προσοχή 278
Πρός τι 126. 209

Pag.

Πρός τί πως 39. 41. 126
Προτρέπεσθαι 291
Πτῶσις 82
Πῶς ἔχειν 42. 108. 119
Πὼς ἔχον 39. 41. 101
Ῥῆμα 226
Ῥητορική 25. 218
Σημαινόμενον 24. 30. 219
Σημαῖνον 24. 30
Σημεῖον 98. 140. 257
Στέρησις 192
— *κατὰ πήρωσιν* 197
— *φυσική* 197
— *ἠθική* 193
— *καθήκοντος* 193
— *ὁμωνύμων* 194
Στερητικὰ ὀνόματα 200
Στοιχεῖον 240. 245
Συναγωγός 136
Ἐκ συναπτομένων 55
Συνδεσμός 226
Συνέχεσθαι 88
Συνεχόμενα 56. 69
Σύνταξις 136
Σύμπτωμα 73
Σχέσις 65. 103. 107. 115. 188
— *ἀνομοίων* 136
— *διαστατική* 136
— *μέση* 137
— *ὁμοίων* 136
— *προαιρετική* 136. 137
— *πρός τι* 132. 135
— *φυσική* 136

Pag.

Σχῆμα 95
Σῶμα 159
Τέλος 264. 274. 283
Ἐν τέλει 93
Τέρατα 251. 254
Τεχνή 96
— μέση 75
Τεχναὶ ἐγκυκλίαι 271. 279
Τεχναὶ φυσικαί 50
Τί 34. 146
Τόδέ τι . . . . 83 N.
Τοιοῦτον 85
Τόπος 166. 282
Τοῦτο 85
Τυγχάνοντα 27. 30
Ὕλη 44. 47. 161. 239
Ὕπαρξις 119
Ὑπάρχειν 165. 167. 169. 174. 175
Ὑποδιαίρεσις 179
Ὑποκείμενον 39. 41. 43. 102
Ἐν ὑποκειμένῳ 12. 44. 102
Ὕπτιον 232
Ὑφιστάναι 165. 167. 169. 174
Ὑφίστασις 117
Φαντασία 28. 162. 172
Φάντασμα 28. 77
Φρονεῖν – φρόνησις 277
Φυσικὸς λόγος 239. 258
Φύσις 56. 97. 250. 257
Φωνᾶεν 223
Φωνή 25. 31. 218. 223
Χαρακτήρ 104. 127. 141
Χαρακτηρισμός 289

	Pag.
Χρόνος	163. 168. 252
— ἐνεστώς	174
— μέλλων	174. 206
— παρῳχημένος	174
Χώρα	166
Ψυχή	97
Ψεῦδος	205

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 5 lin. ult. pro δοξᾶ legendum δοξά
— 9 — 13 — μᾶλλοντε — μᾶλλον τε
— 15 — 14 — ἠ — ἤ
— 17 — 20 — seqnebantur — sequebantur
— 18 — N. 1. adde: Cf. p. IV. c. 1. p. 217.
— 20 — 3 a f. — et enuntiatione, quam tractat rhetorice sensu arctiore accepta.
— 40 — 3 pro *ea* legendum *eo* (*aliquo*)
— 43 — 3 — καθῆται — κάθηται
— 50 — 10 a f. — Bakeo — Bakio
— 51 — 5 — ὂν — ὄν
— 54 — 2 signum notae in sequentem lineam post vocabulum τὰ μὲν ponendum
— 62 — 7 pro *vauucm* legendum *vacuum*
— 75 — 15 — ἠν — ἦν
— 79 — 6 a f. — ab — ob
— 88 — N. adde: Cf. pag. 75.
— 92 — 16 et 20 pro μὴ — μή
— 104 — ult. — ταίτας — ταύτας
— 112 — 1 — ἐχει — ἔχει
— 115 — N. adde: Cf. P. IV. c. 2. p. 232.
— 118 — N. pro 210 legendum 110, quod vitium ex ipsa Simplicii editione illic repetivi, in indice correxi.
— 118 — 9 a f. — καθημένος — καθήμενος
— 118 — 9 a f. — καθῆται — κάθηται
— 119 — 10 adde: P. III. c. 4. p. 67.
— 124 — 5 a f. pro καθημένος — καθήμενος
— 131 — 3 — ἑτερον — ἕτερον
— 137 — 1 — ο — ὁ
— 141 — 4 — P. V. — P. IV.
— 143 — 4 — *ntraque* — utraque
— 143 — 10 a f. — *quintae* — quartae
— 153 — 9 a f. — ὺφ' — ὑφ'
— 176 — 8 — in anima — inanima

Pag. 185 lin. 8. 7. 6. 1. a f. pro *καὶ* legendum *καί*
— 201 — 1. Notae signum transponendum est in p. 200. l. 9. a f. post vocabulum *δικαιοσύνη*.
— 210 — 10 pro *λέγνται* legendum *λέγεται*
— 228 — 5 a f. — extenso — extensio
— 244 — 3 adde post vocabulum *physicam*: excepto primo loco, cuius pars posterior est mathesis pura.
— 248 — 5 pro *Δίος* legendum *Διός*
— 253 — 16 — *κινητὰ* — *κινητά*
— 269 — 11 a f. — *η* — *ἡ*
— 277 — 16 — *incorporale* fortasse emendandum est: *corporale*, quod si placuerit, vocabula, quae addidi, [sapientiae accidens, sapere] delenda erunt.
— 306 — 7 syll. *con* jungenda c. voc. *versiones* l. seq.
Praef. p. XV. l. 9. pro 1552 leg. 1652.

Quae vitia, etsi maxima ex parte minoris sunt momenti, tamen indicanda fuisse duxi. Neque praetermittendum est, Beieri nomen falso bis per litteram y esse scriptum atque Boëthi nomen ubique sine punctis diaereseos expressum; vocabulum denique *dissertatio* pluries minus apte de hoc meo libro, ex dissertatione orto, esse usurpatum.

